








PALLIUM LATINUM VIGENS




PALLIUM LATINUM VETUS





PALLIUM GRAECUM



PALLIUM SYRIACUM

DE

SACRI PALLII


ORIGINE

PHILIPPI VESPASIANI

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

IN COLLEGIO URBANO PROFESSORIS

DISQUISITIO





ROMAE

TYPIS S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLVI.

Cum Auspice SSmo D. N. Pio PP. IX. Iacobus Keogh Pittzburgensis Collegii Urbani Alumnus publicam de sacra Theologia et Historia Ecclesiastica disputationem die 19. Novembris anni nuper elapsi iniret, quam quidem SSmus Pater horis pomeridianis Sua praesentia decoravit, atque ingenii doctrinaeque specimen ab iuvene optimae spei exhibitum benignissimis modis probavit; inter theses historicas de Romanis Pontificibus eorumque auctoritate, hanc quoque tradebam.

« Apostolici Pallii notio accurata videtur ut
» per illud B. Petri pallium seu superior vestis
» exhibeatur, eoque Pontifices ipsius veluti per-
» sonam referant, aliisque praesulibus concedatur
» ut auctoritatis inde dimanantis signum existat.»

Porro cum indumenti huius origo incerta manere videretur, et melioris quoque notae scriptores, reiecta ad summum ea sententia quae Pallium ex Imperiali repetebat indulto, vix aliquid ad veram adstruendam originem proferrent; opportunum censui nonnullorum studiis acquiescere ut ea exhiberem quae propositam suggerebant.

Ut vero pertractatio huiusmodi clarior evadat, primo quidem disciplinam de Pallio apud Latinos et Orientales usu receptam, prolatis etiam antiquioris aetatis documentis, breviter tamen ac per summa capita proponam: quod quidem facile unusquisque videt totius disquisitionis esse fundamentum. Hac tamen priori in parte, documenta simpliciter atque historice proferentur, siquidem omnium ratio ac nexus ex dicendis patebit. Hypotheses deinde a nonnullis circa eiusdem Pallii originem excogitatas, atque eam imprimis quae ex Imperatorum repetit elargitione, refellam. Hinc via strata ad veram iuxta propositam thesim sacri Pallii originem detegendam: proindeque argumenta ad id comprobandum evolvam. In hac vero pertractatione veterum scriptorum documentis iungentur monumenta, eaque sane praeclarissima quae in vetustioribus Urbis ecclesiis posterorum memoriae tradebantur: ex coniunctione enim ista, argumento lux haud mediocris accedere videtur.

Offendere aliquem posset novitatis species, quae in proposita sententia persentitur. Attamen recolendum est idem pluribus contigisse, qui rationem historicam nonnullorum rituum vel sacrarum vestium declarandam susceperunt: cum praesertim ex antiquiori aevo rara admodum documenta supersint, nec facile scripto traderentur quae omnibus notissima ac perspicua erant; successive

autem potissimum commendari ac declarari consueverunt hac in re, quae ad pios moralesque sensus fovendos magis opportuna viderentur. Attamen disquisitio haec ad antiquitatem ut par est convertitur, ac statutam Apostolici Pallii originem veterum scriptorum testimoniis et liturgicis usibus consignatam evincet. Hinc specie potius, quam re, nova, haec Pallii notio haberi poterit: cum ea iugiter servata fuerit, licet ob immutatam indumenti formam, et usuum varietatem, ab ea forsitan retraheretur attentio.

Ceterum quae asseritur Pallii Apostolici origo sacri huius indumenti excellentiae ac dignitati adamussim respondere, ac per illam Romani Pontificis maiestas atque externa veluti dignitas venerabilior, si ita loqui fas est, fieri videtur: pergratum proinde erit, siquidem haec probentur, hoc qualecumque obsequii signum erga Apostolicam Sedem exhibuisse



INDEX

DE

SACRI PALLII

ORIGINE

CAPUT I.

DE PALLII USU QUOAD OCCIDENTEM.

ARTICULUS I.

Romani Pontifices.

Pallii nomine venit sacrum indumentum: videlicet fascia quaedam lanea, alba, crucibus ornata, quae pectori atque humeris advolvitur, extrema autem inferius profluunt. Ab antiquiori aetate Pallii usus occurrit, eoque Romanum imprimis Pontificem decoratum constat.

Vetustiores Pontifices Pallio fuisse indutos eruitur ex indulto Marci Papae usum illius ad Ostiensem Episcopum extendentis.

Apud Anastasium, inter ea quae anno 538. inique in Silverium Pontificem acta sunt, instigantibus aulae Byzantinae administris, habetur in eius vita «Subdiaco» nus regionarius regionis primae tulit Pallium de collo » eius et duxit eum in cubiculum, et expolians eum » induit eum monachicam vestem et abscondit eum.»

Iohannes Diaconus iussu Iohannis VIII., qui Petri cathedram ascendit anno 872, vitam Gregorii M. scripsit: libro autem IV. cap. 84. describit ipsius Pontificis ima-

ginem, quae eo vivente in proprio monasterio depicta fuerit: postquam vero commemorasset Dalmaticam et Planetam, addit « Pallio mediocri a dextro videlicet hu-
» mero sub pectore super stomachum circulatim de-
» ducto, deinde sursum per sinistrum humerum post
» tergum deposito, cuius pars altera super eumdem
» humerum veniens propria rectitudine per medium
» corporis sed ex latere pendet. »

Accedunt musiva opera in Urbis Basilicis, quae Pallio indutos exhibent tum Pontifices, quorum cura illae extruebantur vel ornabantur, tum etiam vetustiores quorum memoria ob titulum erectum vel adservatas reliquias sacra ibidem existeret. Pro saeculo sexto ad SS. Cosmam et Damianum Felix IIII, S. Laurentium extra muros Pelagius II, Pallium deferunt: quae tamen imagines restaurationem aliquam habuerunt. Pro septimo ad S. Agnetem pariter extra moenia Pallium exhibent Honorius I. et alter antiquior Pontifex, forte Symmachus qui beneficia in illam ecclesiam contulerat: itemque duo Pontifices in oratorio penes baptisterium Lateranense Joannes IV, et forte Theodorus, Pallium item accipit Leo III. in fornice absidis Leoniani triclinii Lateranensis. Illud gerit Paschalis I. ad S. Praxedem et ad S. Caeciliam. Ad S. Marcum Gregorius IV. operis auctor, atque insuper Marcus P. Pallium habent. Omitto recentiores imagines quae in aliis Urbis ecclesiis supersunt, aliasque iniuria ablatas temporum, quarum typi apud Ciampinium et alios Christianae antiquitatis cultores exhibentur, in quibus Romani Pontifices sacro hoc ornamento constanter induuntur.

Pallium vero iugiter Romani Pontifices supra alia sacra indumenta, praesertim in solemni Missarum celebratione, detulerunt: ac licet pro aliis Praesulibus limitationes quoad Pallii usum existant locorum ac tempo-

rum; vix necesse est animadvertere Summum Pontificem nullos quoad Pallii usum habere limites.

ARTICULUS II.

Pontificia Pallii indulta.

Ad Pontificia indulta documentis consignata quod pertinet, ex Marci I. Romani Pontificis vita, inter alias per Anastasium Bibliothecarium ex vetustioribus monumentis, Damasi praesertim, adlectas, constat Pontificem Marcum Ostiensi Episcopo, ad quem Romani Pontificis ordinatio pertinet, concessisse ut Pallio ea occasione uteretur. Augustinus vero testis est Romani Pontificis ordinationem per Episcopum Ostiensem peragi consuevisse. Collat. 3.

Saeculo V. desinente Symmachus Pontifex electus est: is ad Theodorum Episcopum Laureacensem Pannoniae ac Norici Metropolitam Pallium misit, prout epistola ad ipsum data testatur. « Idcirco Pallio, quod ex » Apostolica caritate tibi destinamus, quo uti debeas » secundum morem Ecclesiae tuae, solerter admone» mus, pariterque volumus ut intelligas quid ipse ve» stitus quoad missarum solemnia ornaris, signum » praetendit crucis, per quod scito te cum fratribus de» bere compati et mundialibus illecebris in affectu cru» cifigi. » Id vero Praedecessorum more praestari asserit.

Symmachus item in favorem Arelatensis Antistitis, Caesarii nimirum, Pallium dedit, uti refert Pontifex Vigilius epistola ad Auxanium Arelatensem.

Vigilius porro Auxanium Pallio exornavit ut sua epistola testatur « Et quia digna credimus ratione com» pleri, ut agenti vices nostras Pallii non desit or» natus » etc.

Ad Arelatensem item Antistitem Sapaudum Pelagius I. misit Pallium « Ut sedis nostrae Vicarius insti-
» tutus, adinstar nostrum in Galliarum partibus primi
» sacerdotis locum obtineas. »

In regesto S. Gregorii M. plures epistolae ad Pallii concessionem referuntur: eae vero ad Occidentis potissimum provincias pertinent, inter quas recensendae quoque Graecia et Illyricum; posteriori enim aevo tantummodo Constantinopolitani Antistites de iis patriarchico iure sibi subiiciendis egerunt.

Per Italiam, Iohanni et Mariniano Ravennatensibus Gregorius Pallium dedit ac provisorio modo annuit ut quater in anno etiam extra Missarum solemnia in Litaniis Pallium deferretur. Pro Iohanne videas lib. III. ep. 56.-V. ep. 2. pro Mariniano lib. V. ep. 56.-VI. ep. 61. Gregorius item Constantio Mediolanensi concedit Pallium lib. IV. ep. 1. Iohanni Panormitano lib. XIII. ep. 37. Domno Messanensi Lib. VI. ep. 9. Iohanni Siracusano lib. VI. epist. 18. Nonnullae epistolae eadem formula continentur, nimirum ubi nil erat peculiariter adnotandum: admodum credibile est ex antiquis regestis plures de Pallio epistolas excidisse, quae eadem expediebantur forma.

Pallium conceditur Maximo Salonitano in Dalmatia lib. IX. ep. 125.

Perhonorifica est Pallii traditio per ipsum Gregorium Magnum in Leandri Hispalensis Antistitis favorem edita l. IX. ep. 121. 122.

Ad Virgilium Arelatensem lib. V. ep. 53. « Vices no-
» stras in Ecclesiis quae sub regno sunt praecellentis-
» simi filii Childeberti: Pallium quoque transmisimus
» quo fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola Missarum
» solemnia utatur. »

Idem Syagrio Augustodunensi Episcopo, Lugdunensis Metropolis suffraganeo, Pallium dedit lib. IX. ep. 11.

108. 109. priori loco post Lugdunensem Archiepiscopum eidem assignato, et data potestate vocandi ad Synodum. Insuper Desiderio item Galliae Episcopo lib. XI. ep. 112.

Pro Britannia a Gregorio Augustinus Cantuariensis Archiepiscopus Pallium est assecutus, simulque facultatem constituendi per illam regionem alios Episcopos: Londinensi item Antistiti Pallium Gregorius tribuit: promittit vero quod, statuta altera Metropoli apud Eboracum, et illi Archiepiscopo Pallium sit concedendum lib. XI. ep. 65.

Ad Iohannem Iustinianae primae Episcopum Gregorius scribens lib. II. ep. 23. « Pallium ex more transmi-» simus et vices vos Apostolicae Sedis agere iterata » innovatione decernimus. »

Iohannes item Corinthiorum Metropolita a Gregorio Magno accipit Pallium « Sicuti praedecessores vestri usi, » concedentibus praedecessoribus nostris, approbantur. » lib. V. ep. 57.

De Andrea Nicopolitano Antistite ad Epiri Episcopos haec Gregorius habet. « Suprascripto Andreae fratri » et coepiscopo nostro Pallium nos direxisse cognoscite, » atque privilegia cuncta concessisse, quae praedecesso-» res nostri eius praedecessoribus contulerunt. L. VI. » ep. 8. »

Post Gregorium frequentiores in dies fuerunt Pallii Apostolici petitiones et concessiones, seu potius documenta accuratius servata. Celeberrima praesertim quae a Greg. III. facta est in favorem Bonifacii Moguntini: « Hinc iure tibi sacri Pallii direximus munus, quod » B. Petri auctoritate suscipiens induaris .... Ex vigore » Apostolicae Sedis debeas ordinare Episcopos » etc. Epist. 8.

Canones etiam vulgati ut Archiepiscopi generatim

Pallium ab Apostolica Sede haberent. Recolenda imprimis sunt quae ipse scribit Bonifacius Moguntinus epistola 105. ad Cudbertum Cantuariensem Episcopum « Decrevimus in nostro synodali conventu et confessi » sumus Fidem Catholicam et unitatem et subiectionem » Romanae Ecclesiae fine tenus servare, Sancto Petro » et Vicario eius velle subiici, Metropolitanos Pallia ab » illa Sede quaerere, et per omnia praecepta Sancti Pe» tri canonice sequi. »

Item Nicolaus I. ad Bulgaros cap. 73. « A Sedis Apo» stolicae Praesule esse Episcopum consecrandum qui » Archiepiscopatus privilegia per nos accipiat, et ita » demum Episcopos sibi constituat, qui ei decedenti suc» cessorem eligant: et propter longitudinem itineris » non iam huc consecrandus qui electus est veniat; » sed hunc Episcopi qui ab obeunte Archiepiscopo con» secrati sunt, simul congregati constituant, sane inte» rim in throno non sedentem, et praeter corpus Christi » non consecrantem, priusquam Pallium a Sede Romana » percipiat sicuti Galliarum omnes, et Germaniae et » aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur. »

ARTICULUS III.

De Latinis Orientis Patriarchis quoad Pallium.

Omitto recentiores Pallii concessiones, quemadmodum canones circa eius usum editos: siquidem apud Iuris Ecclesiastici tractatores prolixior atque accurata horum descriptio habetur. Non est tamen praetermittendum post initam primam adversus Mohamedanos sacram expeditionem, constituta patriarchali Antiochena Sede pro Latinis, Patriarcham ab Apostolica Sede Pallium accepisse, prout Willelmus Tyrius refert l. XIV. cap. 10. « Radulphum (Patr. Antiochenum) resignato

» Pallio, quod de altari (B. Petri, ut antea retulerat) Antiochenae Ecclesiae sumpserat, aliud sumptum de corpore B. Petri more solemni per Diaconum accepisse. »

Item Innocentius III. ad Thomam Latinum Constantinopolitanum Patriarcham per litteras Apostolicas sub die 30. Martii 1205. « Palleum quoque, insigne videlicet » plenitudinis Pontificalis officii, fraternitati tuae, Apo» stolicae Sedis liberalitate largimur, quo intra ecclesias » tuae iurisdictioni subiectas, in solemniis Missarum » utaris diebus etc. Ad indicium etiam gratiae plenioris, » auctoritate tibi praesentium indulgemus ut Archie» piscopis suffraganeis tuis usum Pallei praesentis in» dulgentiae auctoritate concedas » etc.

Est etiam animadvertendum in lateranensi Concil. IV. Innocentium III. Decretalem edidisse qua Sedium Patriarchalium ordine disposito ut primus Constantinopolitanus, deinde Alexandrinus, postea Antiochenus, demum Hierosolymitanus existerent; cuilibet propriam dignitatem servandam edicitur « ita quod postquam eorum An» tistites a Romano Pontifice receperint Pallium, quod » est plenitudinis officii pontificalis insigne, praestito » sibi fidelitatis et obedientiae iuramento, licenter et » ipsi suis suffraganeis Pallium largiantur, recipientes » pro se professionem Canonicam et pro Romana Eccle» sia sponsionem obedientiae ab eisdem. » Cap. V. Porro interpretes hanc Decretalem ita exhibent ut Patriarchas quoque latinos tempore sacrarum expeditionum constitutos Pontifex spectaverit, illisque etiam facultatem elargiendi Pallium Metropolitanis latinis concesserit, quemadmodum Thomae Constantinopolitano significavit.

—

ARTICULUS IV.

Ex adductis quaedam disciplinae capita eruuntur.

Ex hactenus animadversis haec statui posse videntur. 1. Pallii ornamentum ab antiquiori aetate Romani Pontificis proprium extitisse. 2. Saeculi IV. initio, illius usum ad Romani Pontificis ordinationem peragendam Ostiensi Episcopo per Marcum P. datum fuisse. 3. A saeculo quinto documenta haberi Pallii traditi a Romanis Pontificibus in favorem Metropolitarum, et aliorum Antistitum, praesertim quibus vicarialem potestatem committebant: licet ex iisdem documentis constet antea etiam similia ex Apostolica Sede plura prodiisse indulta. 4. Saeculo octavo canones datos ut omnes Metropolitae a Romano Pontifice Pallium assequerentur. 5. Pallii concessio ita fiebat ut intra Ecclesiam et ad Missarum solemnia tantum esset deferendum. 6. Patriarchas latinos in Oriente constitutos Pallium ab Apostolica Sede consequi debuisse. 7. Datam iisdem veniam ut, accepto per Apostolicam Sedem Pallio, Metropolitis latinis suae ditionis concedere illud possent.

Demum est circa latini Pallii formam animadvertendum ad saeculum usque XVI, illud vittas oblongiores utraque in parte pendentes habuisse, quae deinde breviores fieri coeperunt ut vix palmi unius mensuram attingant. Insuper ad saeculum XIII. rubri coloris cruces generatim commemorari ac perspici; in posterum, quin mutationis in Pallio causa appareat, nigras potius cruces apponi consuevisse.

—

CAPUT II.

DE PALLII USU QUOAD ORIENTALES.

ARTICULUS I.

Graeci aliique Orientales Pallium aliquod habent.

Ad Graecos quod pertinet, sacrum de quo agimus indumentum per vocem ὠμοφόϱιον praesertim indigitatur. Porro rerum graecarum periti tum antiquioris tum recentioris aetatis vocabulum illud iugiter vertere consueverunt *Pallium*, et quidem sensu quemadmodum in Occidente Pallium intelligebatur. Satis est Omophorium istud perspicere in imaginibus Patrum Graecorum aliorumque Antistitum, vel etiam in hodierna Graecorum Praesulum solemni induendi ratione ut pateat ad ipsum referri sacri indumenti genus. Enimvero per Omophorium exhibetur fascia alba, crucibus instructa quae super alia sacra indumenta sumitur, humeris et pectori advolvitur, eiusque extrema inferius descendunt.

Melchitae item Omophorium servant, ut notum est. Apud Le Brun *Explication des prières et de cérémonies de la Messe* t. 2. pag. 451. refert D. de Thevenot *Voyage du levant* quod Alexandrinus Patriarcha Graeco Melchita solemniter celebrans super alia sacra indumenta stolam quamdam induerit, quae olim a Romano Pontefice missa dicebatur, simul vero Pallium iis simile quod in latinis Archiepiscopis perspexerat.

Apud Russos pariter eadem ratione atque apud Graecos Pallium in usu est, quemadmodum imprimis patet ex figurato calendario Moscovitico totius anni, in Episcoporum imaginibus: in primis sub die 13. Martii in festo exaltationis S. Crucis, Russiae Archiepiscopus

Pallio indutus habetur. Videatur Le Brun eodem t. 2. et calendarium ipsum, curis Henschenii et Papebrokii impressum tomo 1. Maii ap. Bollandianos.

Armeni quoque illud habent pro Patriarchis et Archiepiscopis: adhibent imo ipsa vocabula Pallii et Omophorii.

Testis vero est Assemannius Bibl. Orient. t. III. par. 2. p. 680: apud Maronitas, item apud Syros Iacobitas, orarium iuxta formam Pallii Graecorum in usu esse.

Apud Cophtos etiam occurrit aliquando graeca forma, alias vero Syrorum ut in tabula.

Apud Chaldaeos tantum deesse videretur: siquidem in ritu, quo ipsorum Patriarcha inthronizatur, mentio tantum fit de Maaphra seu casula, Biruna mitra, et Chutra baculo pastorali Assem. t. III. part. 2. p. 666.

ARTICULUS II.

Discrimen a latinis in usu Pallii.

Licet idem quoad substantialem formam videatur Pallium orientale ac latinum, disciplina tamen non eadem viget. Primo enim fascia illa prae latino Pallio latior est et pendentes vittae sunt longiores; cruces rubei coloris auro saepe admixtae. Deinde cum latinum Pallium per integram deferatur Missam, apud Graecos Pallium deponitur ante evangelii lectionem, ad communionem vero iterum sumitur. Insuper licet antiquitus et laneum Graeci haberent Pallium, attamen modo ad instar aliarum sacrarum vestium aliqua ex pretiosa materia et praesertim aurophrygiata Pallia, alba iugiter, efformant; ovis tamen figuram, ea Pallii parte quae humeris respondet, addere consueverunt. Apud Orientales nonnullos, aliquando, Sacra Pallia ejusdem coloris sunt ac alia sacra indumenta. Demum apud Graecos Episcopi om-

nes Pallium gerunt, quam quidem praxim uti admodum antiquam quaedam documenta commendare videntur, licet limitationis alicuius indicia haud desint. Goarius vero in commentariis ad Euchologium existimat antiquitus nostram disciplinam quoad Pallium et apud Graecos viguisse, adeo ut praeter Metropolitanos haud extenderetur: post saeculum vero nonum, eius usum omnibus indiscriminatim Episcopis permissum fuisse.

ARTICULUS III.

Antiquiora nonnulla documenta historica circa Graecorum Pallium.

Ut antiquitatis nonnulla documenta circa Graecorum Pallium afferam, apud Photium codic. 256. habentur acta Metrophanis et successoris eius Alexandri in sede Byzantina tempore Constantini Imperatoris; de Metrophane vero traditur «Postea Pallium τὸ ὠμοφόριον sacrae » mensae deponit, praecipiens illud successori servari » (nimirum Alexandro). »

Ex Liberato Diacono Carthaginensi Brev. Historiae Nestorianorum et Eutychianorum cap. XVIII. Felicis III. R. P. sententia adversus Acacium Constantinopolitanum Patriarcham per Monachum quemdam in ecclesia, Acacii « Pallio suspensa » traditur.

Idem Liberatus de Antimo Episcopo Constantinopolitano refert illum cum a sede pelleretur, cap. XXI. « Pallium reddidisse. »

4. De Eutychio Constantinopolitano Antistite an. 553. electo, Eusthatius Presbyter in eius vita « Eutychius » precibus et manu Pontificum consecratur, S. Spiritu » inungitur, ovis errantis typum super humeros tollit (Pallium certe designatur) in sedem sublimem » ascendit et in solio sedet. »

Zonara tradit Anastasium Imperatorem Germani, saec. 8. Constantinopolitani Patriarchae, vestigiis insistentem Omophorion eius calcasse, quo moneret ne properaret lib. 15. Ann. n. 5. quod inspecta veteris Pallii et graeci praesertim longitudine, fieri facile potuisse constat.

Georgius Cedrenus de ipso eodem Germano « Ger» manum Leo (Imperator) Patriarcham solio deiecit: » isque humerale in sacra mensa magni templi depo» nens, resignavit munus suum atque discessit » p. 376. edit. Basil.

ARTICULUS IV.

Item ex Libris liturgicis.

Accedunt libri liturgici ac rituum expositores. 1. De Patriarchis haec habet Simeon Thessalonicensis « Si ele» ctus in Patriarcham fuerit Episcopus, non indiget » alio praeter inthronismum. Promotus in Ecclesiam » venit, templumque ingressus et sacrum altare, Epi» trachelion et ὠμοφόριον sibi circumponit. De sacris » ord. c. IX. »

Attamen generatim de Episcopis Isidorus Pelusiota saeculi quinti initio L. I. ep. 136. ad Herminum Comitem « Episcopi Pallium ex lana non ex lino con» textum ovis illius, quam Dominus aberrantem quae» sivit, inventamque humeris suis sustulit pellem signi» ficat. Episcopus enim qui Christi typum gerit ipsius » munere fungitur, atque etiam ipso habitu illud onus » ostendit se boni illius ac magni Pastoris imitatorem » esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. »

Aloisius Assemannius exhibet codice liturgico t. XI. liturgiam Dionysianam, quam putat eo exaratam intervallo quod fluxit inter Concilium Nicaenum et Chal-

cedonense, p. 73. Porro de cuiusque Episcopi ordinatione pag. 107. habetur « Archiepiscopus imponit » Pallium ὠμοφόριον ordinato. »

Alter eodem tomo prostat graecus liturgicus antiquus codex, qui similiter in Episcopi ordinatione habet pag. 129. « Imponat Pallium ei qui ordinatur. »

Demum in memorato Calendario Moscovitico Episcopi omnes sacro Pallio amicti inspiciuntur.

ARTICULUS V.

Canones Concilii VIII.

Attamen in Concilii octavi contra Photianum schisma decretis disciplina insinuatur quae nonnullis tantum Episcopis et praesertim Metropolitis, Pallii usum reservare videtur. Canon in Graecis collectionibus est decimus quartus, in editione seu Latina versione Anastasii vigesimus septimus.

« Sancimus ut designati ad superhumeralia (in Ana» stasii versione *Pallia*) gestanda Episcopi certis statisque » temporibus, temporibus illis ea et locis gestent, nec » huiusmodi cultu per fastum et superbiam abutantur: » aut quovis tempore Divini Sacrificii et quacumque » ecclesiastica functione ferant. » Ex supra animadversis sensus canonis undequaque patet: quod certis temporibus et locis tantum Pallii usus daretur; quod, intervallo aliquo, Pallium in Missa esset deponendum: praesertim vero attendatur quod non omnes, sed nonnulli tantum Episcopi designati dicuntur ad illud gerendum.

Apud Anastasium, qui adfuisse Concilio octavo asseritur, latinam vero eius decretorum editionem curavit, alter canon ad Pallium, indirecte tamen, pertinens reperitur, nimirum 17. quo, praemisso canone VI. Nicaeno,

adiungitur « Qua pro causa et haec magna et sancta Sy-
» nodus tum in seniori et nova Roma, quam in sede
» Antiochiae ac Hierosolymorum priscam consuetudinem
» decernit in omnibus conservari, ita ut earum Prae-
» sules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis
» promoventur, et sive per manus impositionem sive
» per Pallii dationem Episcopalis dignitatis firmita-
» tem accipiunt, habeant potestatem ad convocandum
» eos » etc. Canon huiusmodi, praesertim si cum altero superius exhibito conferatur, reservare videtur Metropolitanis Pallium, qui nimirum sint *designati illi* ad superhumeralia gestanda.

ARTICULUS VI.

De Pallio per Apostolicam Sedem in Orientem misso

Certum vero est per Apostolicam Sedem praesertim ad Patriarchas Sacrum Pallium missum fuisse. Erui id primo potest ex iure eos confirmandi, quo Romani Pontifices utebantur: cumque praecipuorum Antistitum confirmatio Pallii transmissionem adiectam haberet, ea occasione Pallium et Patriarchis tradebatur.

Id etiam eruitur ex Pallii transmissione ad nonnullos Episcopos Graecos, de quibus primo capite actum est.

Commemoranda item quae Theodorus Balsamon in Photii Nemocan. refert de Coelestino Romano Pontifice, qui ut vices suas pro Ephesino Concilio Cyrillo Alexandrino traditas significaret, Phrygium ei miserit, quod quidem de Pallio plures eruditi intelligunt, cum praesertim phrygio opere et Pallium distingui potuerit.

Apud Le Quien exhibetur Maronitarum Patriarcha saeculi octavi initio expostulans a Romano P. Pallium.

Luitprandus item memoriae servavit Theophylactum Constantinopolitanum a Iohanne XI. Pallium habuisse.

Idem exurgit ex studio quo Patriarchae Orientales ad unitatem redeuntes confirmationem et Pallium ab Apostolica Sede postularunt. Quam disciplinam Innocentius III. superius memorato canone obfirmavit.

ARTICULUS VII.

Ex adductis disciplinae quaedam capita eruuntur.

Ex animadversis hactenus quoad Orientales, eruitur 1. Pallium aliquod apud Graecos, Melchitas, Russos, Armenios, Maronitas et Syros in usu fuisse atque esse forma haud valde a latino dissimili, 2. Pallium apud plerasque Orientis nationes et Graecos potissimum commune esse Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis. 3. In ipso ordinationis vel inthronismi ritu ex manu Ordinantis seu ex sacro altari accipi. 4. In decretis Conc. VIII. limitationem insinuari quoad Antistites Pallio utentes, quae tamen limitatio haud regiter servata est. 5. Romanos Pontifices hac etiam in re Graecis aliisque Orientalibus suas consuetudines permisisse, attamen et Orientis Patriarchis a Sede Apostolica Pallium missum fuisse. 6. Per Decretalem Innocentii III. diserte statutum ut Catholici Patriarchae Apostolicum Pallium assequerentur, quod quidem supra ordinarium suum Pallium gerunt.

CAPUT III.

DE SENTENTIA QUAE AB IMPERATORIBUS PALLIUM DEDUCIT.

ARTICULUS I.

Ea refellitur.

Documentis praecipuis quae ad Pallium pro Occidente atque Oriente referuntur propositis, ad originem sacri huius indumenti discutiendam progredi iuvat. Primo

autem excludenda est sententia Antonii de Dominis de Rep. Christ. T. III. c. 11. §.25. Petri de Marca de Conc. T. VI. cap. 6. Bohemeri Obs. 3. in de Marca, quae per alios quoque bonae ceteroquin notae scriptores mitiori quidem forma et stylo prolata est, nec raro profertur, Pallium nempe istud fuisse Imperiale ornamentum, atque ex Imperiali indulto ad Ecclesiam transiisse.

Quis porro serio admittere poterit sacra indumenta, illud imprimis quod inter cetera est praestantissimum, ab antiquiori adeo aetate, ex Imperatoribus Catholicam Ecclesiam accepisse: cum praesertim in Pallio ea iugiter adnotarentur quae ad spiritualem auctoritatem pertinent, neque ullo modo ad Imperialem dignitatem referri possunt.

Porro praesto sunt innumerae Imperatorum Romanorum ac Byzantinorum imagines, Imperialia item indumenta apud plures scriptores referuntur; nil vero occurrit quod cum Ecclesiastico Pallio vere ac proprie conferri possit. Neque enim ad Pallium pertinent vel purpurea chlamys, vel torques gemmati vel parva illa mozzetta operis phrygii circa collum, quae ex veteri stola desumpta videtur.

Quod vero Imperialis indulti huius in Ecclesiam documentum? Imo nulla prorsus mentio, nullum indicium ex genuinis instrumentis; cum tamen legibus, edictis, epistolis, et Patrum ac Scriptorum Ecclesiasticorum commendatione ferantur quae Imperatores in Ecclesiam beneficia contulerunt.

ARTICULUS II.

Obiectio ex Constantini Donatione.

De Marca exhibet vulgatam Constantini Donationem, qua Silvestro Pontifici traditum dicitur *superhumerale,*

videlicet lorum quod Imperiale circumdare assolet collum. Per id vero Pallium designari asserit. Licet vero ad Constantinum reapse haud pertinere fateatur donationem illam, adnotat ante Caroli Calvi tempora illam prodiisse, contendit vero Romanam Ecclesiam, ea admissa, nono saltem saeculo agnovisse Romano Pontifici beneficio Imperatoris Pallium esse delatum.

Attamen ex apocrypho isto saeculi noni documento, quod ceteroquin De Marca eiusque asseclae passim nihili habent graviterque reprehendunt, quid inferri possit haud video. Immerito prorsus Romanae Ecclesiae assensus in illud, singulosque veluti eius articulos, perhibetur. Compertum est nec Romae ac multo minus opera Romanorum Pontificum illud prodiisse. Natalis Alexander ipsum illum Donationis opificem statuit, ad quem Isidorianae Decretales referuntur, hominem Gallo-Germanum: alii Graecum perhibent Donationis auctorem. Quid vero ad Romanam Ecclesiam, si aliquis eo tempore, cum sanctiora quaelibet iura homines freno impatientes aggrederentur, bona forsitan fide, Imperiali privilegio firmata iura ecclesiastica quaedam exhibenda voluerit? Nec iuvat quod commemoretur Donatio illa in Gratiani decreto; privati Doctoris est opus illud, atque omnes norunt ab Apostolica Sede numquam firmatum fuisse. Cum per plures Donatio illa laudaretur, esto quod et Romae in aliis allegata sit: attamen delatio Pallii haud inde educta est, quod probe attendendum, cum exinde tot habeantur decreta ac litterae Romanorum Pontificum, veterumque scriptorum testimonia de Pallio. De Marca vel Antonius de Dominis primi videntur, qui ex illa Donatione Pallium veluti Imperatoris beneficium deduxerint.

At textum ipsius Donationis perscrutemur. Quaeso cur non dixit Pallium, quemadmodum Occidentales omnes loquebantur, sed superhumerale: locutio ista, siquidem

ad Pallium sit referenda, indicio esset Donationis istius auctorem fuisse Graecum. Concedamus per *superhumerale* intelligere voluisse Pallium, at satis erat Pallium vel superhumerale dixisse: qua de causa explicatio additur *lorum videlicet, quod Imperiale circumdare assolet collum*. Omitto quod proprie Pallium ad humeros potius quam ad collum pertineret: at studium istud et conatus in arcessendo superhumerali ex Loro, meram auctoris hypothesim indicat ut superhumerale seu mavis Pallium ex ornamento aliquo imperiali deduceret: quod certe haud fieret si Pallium ornamentum Imperiale reapse extitisset, omnesque illud uti tale in Imperatoribus eorumque imaginibus agnovissent.

ARTICULUS III.

Item ex Epistolis Vigilii et Gregorii PP.

Alterum argumentum De Marca educit ex litteris Romani Pontificis Vigilii ad Auxanium Arelatensem cum asserit se Pallii transmissionem distulisse ut « et vobis » gratior praestitorum causa reddatur, dum quae po- » stulatis cum consensu Christianissimi Principis referun- » tur, et nos honorem fidei eius servasse cum compe- » tenti reverentia iudicemur. » Auxanio deinde morem gessit: vult autem ut pro Iustiniano et Theodora preces fundat « qui pro his vestrae caritati mandandis prae- » buere consensum ». Urget idem De Marca testimonium Gregorii M. qui pariter ex assensu Imperatoris Syagrio Augustodunensi Pallium concessit: siquidem Francorum Reginae Brunechildi respondit lib. IX. ep. 11. « Syagrio » Pallium dirigere secundum postulationem vestram vo- » luimus. Propter quod et serenissimi Domini Impera- » toris quantum nobis Diaconus noster, qui apud eum

» responsa Ecclesiae faciebat innotuit, prona voluntas est » et concedi hoc omnino desiderat, atque multa de prae- » dicto fratre nostro » etc. Arguit itaque De Marca, cum ex venia Imperatorum Pallii concessio et per Pontifices fieret, sequitur ab Imperatore primo illud Pontificibus collatum, adeo ut eo annuente ad alios extenderetur.

Mirum profecto videri poterit quod Petrus De Marca tantae auctoritatis faciat illam Imperatorum veniam pro Pallii concessione, cum per haec ipsa tempora contendat Galliae saltem Metropolitas Pallii deferendi ius habuisse. Attamen expostulare iuvat quare cum Pontificum et in primis Gregorii tot litterae de Pallii concessione existant, nullibi alias nec minimum indicium sit de obtenta vel petita venia Imperatoris, cum, eadem vigente ratione, idem iugiter fuisset praestandum? Cur nullae recto tramite preces ad Imperatorem, qui certe opportunam admodum nactus esset occasionem ut Episcopos arctius sibi adstringeret atque obsequentiores redderet? Cur Pallii usus, cum saepe saepius Pontifices aliique Praesules Imperatoribus haud gerere morem cogerentur, numquam ab Imperatore revocatus?

Facile vero difficultas ex supra recensitis litteris petita solvitur si animadvertatur Pallium per Apostolicam Sedem iis potissimum donari tum consuevisse qui peculiare aliquod munus vigilantiae aut vicarialis potestatis per eamdem obtinebant, uti ipse De Marca adnotaverat; quod quidem utroque eo in casu ac praesertim de Auxanio Arelatensi evidentissime constat. Porro, cum illae traderentur litterae per Vigilium et Gregorium, Romana civitas et provinciae finitimae suberant Graeco Imperatori, qui etiam veteris Imperii iura per Occidentem sibi servari pro viribus contendebat. Notum est quanta vi Iustinianus et Theodora in Vigilium egerint praesertim ob trium Capitulorum causam: notum est Gregorium M. optime

licet de Graeco imperio meritum Mauritium Imperatorem offensum sibi iniuria prorsus habuisse, eaque tradebatur epistola anno 598. vel 599. paulo ante Mauritii mortem. Nil mirum si Pontifices in difficillimis rerum adiunctis, quando peculiarem potestatem cum Pallio iis Praesulibus essent tradituri, cum Imperatorum beneplacito aliquando id praestare congruum duxerint.

Enimvero in epistola, qua proprie continetur Pallii concessio in favorem Syagrii, lib. IX. 108. nulla prorsus Imperialis veniae mentio habetur: litterae vero omnes ea de causa datae iugiter exhibent concessionem, quae propria Pontificis auctoritate fiat. Demum Vigilius asserit se « honorem cum competenti reverentia exhibere » Gregorius vero « pronam Imperatoris voluntatem esse indicat, » illumque desiderare ut concedatur » nimirum per Pontificem. Haec profecto evincunt officii atque observantiae signum praestitum: Pallii vero concessionem Pontificalis, non vero Imperialis auctoritatis esse actum.

ARTICULUS IV.

Altera obiectio ex indulto pro Ravennatensi Antistite.

Commemorandae hic veniunt Pallii concessiones in favorem Antistitum Ravennatensium per Imperatores. Inter monumenta Ravennatensia a Rubeo edita habetur diploma Valentiniani III. Iohanni Ravennatensi, qui floruit initio saeculi quinti, inscriptum, quo inter alia legimus. « Conferentes ei ob decorem Apostolicae dignitatis » honorem Pallii et omnis Pontificalis decoris usum, » sicut ceteri sub nostra Christianissima potestate saepe » degentes fruuntur Metropolitae. » Item Agnellus Andreas Archiepiscopus Ravennatensis qui medio saeculo nono scribebat concessionem istam commemorat: addit

insuper Iustinianum Imperatorem idem privilegium Maximiano Ravennatensi Episcopo concessisse.

Attamen quis genuinum habebit Imperiale diploma quo Archiepiscopalis dignitas tribuitur, provinciae ecclesiasticae limites et suffraganei Episcopi assignantur? Plura vero fraudis indicia inibi habentur: in inscriptione est *Valentinianus Maior Imperator* insueto prorsus titulo, ac provinciae Ravennatensis circumscriptio cum genuinis illius temporis documentis multiplici ratione pugnat, ut Baronius animadvertit ad annum 432.

Indultum insuper huiusmodi iis repugnat quae habentur in pluribus Gregorii M. epistolis circa Pallium Archiepiscopis Ravennatensibus concessum, cum praesertim Valentiniani indultum ad ipsius Iohannis personam haud coarctaretur. Nullum porro in Gregorii epistolis de illo vel simili Imperatoris privilegio Ravennatensibus Episcopis tradito, indicium occurrit. Pallium ex Gregorio expostulatur et quidem iteratis precibus, licentia item illud gerendi in litaniis: intercessores apud Gregorium in favorem Archiepiscopi fiunt Patritius et Praefectus Ravennatenses praecipui administri per Italiam Imperatoris Byzantini. Pontifex Iohanni Episcopo Ravennatensi Pallium elargitur, *Apostolicae Sedis benevolentia et antiquae consuetudinis ordine provocatus* lib. V. ep. 5. Quid plura: ad ipsum Iohannem rescripserat l. III. ep. 56. «Si » tuae Ecclesiae aliquid specialiter dicit esse concessum, » praeceptum a prioribus Romanis Pontificibus, *quo haec* » *Ravennati Ecclesiae sunt concessa*, a vobis oportet » ostendi. » Apertissimis verbis ex Apostolicae Sedis indulto Ravennatenses Antistites primo Pallium habuisse Gregorius testatur. Ipse Petrus De Marca diploma illud ita commemorat ut authenticum haud habeat.

Nec video quomodo Maurini auctores Isagogis liturgicae in S. Gregorium cap. XI. hac arrepta occasione

animadverterint alia forte privilegia a Pontifice, alia ab Imperatore per Pallium potuisse obvenire: siquidem ut ex hactenus adductis patet, ipsa Pallii concessio in Apostolicam Sedem exclusive refunditur, quaeque de Pallio dicuntur rem ecclesiasticam unice spectant.

Iure optimo coniicit Baronius diploma illud effinctum posteriori aevo cum Ravennatenses Archiepiscopi praefinitos limites sustinere amplius nollent ac Romanis Pontificibus obsisterent. Neque mirari debemus si Agnellus Ravennatensis saeculo IX. hanc narrationem admiserit, quemadmodum et Pallii indultum a Iustiniano in favorem Maximiani, quod item ex superius propositis animadversionibus et praesertim ex Gregorii M. epistolis haud multo post datis excluditur. Benedictus Bacchinius Ordinis S. Benedicti in eiusdem Agnelli editione plura in ipsum Agnellum haec referentem, eiusque scribendi rationem Apostolicae Sedi interdiu haud obsequentem merito animadvertit. Mirum vero esse haud debet si in actis eruditorum Lipsiae anni 1710 pag. 330. ad 336. et apud Casimirum Oudinium de scriptoribus Ecclesiae antiquis t. II. p. 157. Agnellus commendari, Bacchinius autem reprehendi meruerint.

ARTICULUS V.

Alia obiectio ex Pallio Antimi Constantinopolitani.

Gravissimum contra sententiam propositam a De Marca argumentum exurgit ex eo quod nec in orientali ecclesia mentio Pallii per Imperatores traditi ocurrat: attamen cum Pallii usus ex vetustiori aetate apud Graecos sit receptus, plures Antistites ultra modum obsequentes extiterint erga Imperatores, hi vero de sua ingerenda in rem Ecclesiasticam potestate solliciti admodum

essent; mirum profecto videbitur quod nullo documento concessio huiusmodi fuerit consignata si de Imperiali dono reapse ageretur.

De Marca indicium se deprehendisse quoad Orientem putat in Liberato Diacono historia Nestorianorum et Eutychianorum cap. XXI. cum de Antimo Patriarcha Constantinopolitano agens, Antimus, ait « videns se sede pul» sum, Pallium quod habuit, Imperatoribus reddidit. » Inde infert Pallium ab Imperatore acceptum, proindeque Pallium ex Imperatoris beneficio repetendum.

Attamen recolere oportet quod supra ferebam ex actis Metrophanis et Alexandri, unde exurgit Pallium haud redditum Imperatori a Metrophane sed ad sacram mensam depositum, atque a sacra mensa successori fuisse tradendum. Patet etiam ex adductis testimoniis Pallium in ipsa Episcopi consecratione ab Ordinante fuisse impositum, quod optime componitur cum aliis testimoniis quae ex sacra mensa acceptum referunt.

Antimus porro ex his erat qui regiae potestati famulari haud detrectant sive in acquirendis sive in abiiciendis Ecclesiasticis muneribus: dignitatis suae tesseram Imperatoribus Iustiniano nimirum et Theodorae tradidit ut renuntiationem in illorum obsequium editam eo signo declararet. Insuper est animadvertendum a Liberato haud tradi, Antimum *ab Imperatore* Pallium habuisse: quod etiam si erui ex eius verbis posset, singulare hoc factum esset explicandum vel de pretiosiori aliquo Pallio per Imperatores tradito, vel etiam de abusu aliquo investiturae cuiusdam quae facile induci potuit, cum in electione Constantinopolitani Antistitis tantam Imperator partem haberet. Etiam per Occidentis plures provincias deinde investiturae per annulum et baculum pastoralem usu invaluerant, nemo tamen inde deduxit ornamenta ipsa ex beneficio Imperatoris in Ecclesiam esse invecta.

ARTICULUS VI.

Pariter Anastasii Antiocheni ex Gregorio M.

Rursus tamen quoad Orientales argumentum profert De Marca eductum ex Gregorii M. epistola ad Sebastianum Rhisinensem in Dalmatia Episcopum. L. I. ep. 28. scribit enim « se a piissimis Dominis (nimirum » Imperatoribus) petiisse ut virum beatissimum dominum » Anastasium Patriarcham (Antiochenum) concesso usu » Pallii ad beati Petri Apostolorum Principis limina mecum celebraturum solemnia Missarum transmittere » debuissent, quatenus si ei ad sedem suam minime » reverti liceret, saltem in honore suo viveret. »

Anastasius Antistes praeclarissimus Iustini Imperatoris praepotentia e sua sede pulsus fuerat, Gregorius item in ditione Imperatoris degebat: iam supra animadverti quanta longanimitate et patientia SS. Pontifex cum aula Byzantina agere debuerit: iugiter tamen Imperator uti Ecclesiae patronus et defensor habebatur; haud mirari debemus si iis in adiunctis Imperatoris bonam veniam Gregorius expostulaverit ut eiectus Patriarcha Romae cum solemni propriae dignitatis signo interim versaretur.

Neque vero probare possum quod in hunc locum Maurini ingerunt dubium « an usus Pallii a Pallio distingui » debeat, an concessio utriusque ab Imperatore sit im» petranda rimetur lector. » Quisque facile agnoscit de Pallii usu, prout ipsa Gregorii verba sonant, esse locum interpretandum: profecto Pallium iam gerebat Antiochenus Antistes, nec facile quis suadere sibi poterit novum ornamentum a Gregorio fuisse expetitum in favorem eiecti per illum Antistitis, ad summum vero quoddam beneplacitum pro usu illius quod obtinebat.

ARTICULUS VII.

Cyrilli Hierosolymitani ex Theodoreto.

Obiici ulterius posset quod habet Theodoretus Hist. Eccl. lib. II. cap. 27. Acacium accusassse Cyrillum Hierosolymitanum « quod ἱερὰν στολὴν quam Constantinus » ad exornandam Hierosolymorum Ecclesiam Macario » eius loci Episcopo donaverat ut ea indutus Baptismi » ministerium perageret, quae vestis aureis filis con» texta erat, Cyrillus vendiderit. » Videri posse nimirum Episcopo Hierosolymitano Constantinum dedisse Pallium.

Praetermitto Pallium per Occidentis Metropolitas tantum pro Missae celebratione adhibitum, in Oriente vero saltem numquam habitum uti indumentum ad Baptisma conferendum. Item Pallium ab Orientalibus haud designari per ἱερὰν στολὴν, qua, potius vestis minus solemnis indicari videtur; demum quod Pallium erat albi coloris, atque ex Isidoro Pelusiota, saec. 5. initio, ex lana, stola vero illa aurea. His omissis, facile quisque videt ex Theodoreto Constantinum haud induxisse novum indumentum, sed pretiosam vestem iuxta formam receptam, quaevis ea fuerit, dono elargitum fuisse: quemadmodum ii qui sacras vestes ecclesiis vel Praesulibus offerunt non auctores illarum, vel iuris deferendi eius generis indumenta, habentur.

CAPUT IV.

PALLII ORIGO NON EX EPHOD VETERIS TESTAMENTI.

Quibusdam placuit Pallium deducere ex Ephod, quod summus Hebraeorum sacerdos gestabat: at quominus

veram Pallii originem inde repetamus plura obstare videntur. Primo enim Ephod non adeo summi Pontificis proprium indumentum erat, ut ab aliis quoque viris illustribus etiam laicis haud gereretur, quemadmodum adductis testimoniis Iahnius probat Archaeol. Bibl. §. 122. Deinde ut idem observat §. 358. Ephod sacrum, erat » byssinum colore purpureo, hyacinthino et coccineo, » atque etiam auro variegatum aetate Iosephi, cubitum » maiorem longum, manicis instructum, atque ex lege » Mosis in utroque humero onyche ornatum, in quo » nomina 12. tribuum, nempe in quolibet sena in- » sculpta erant Exod. XXVIII. 6. 7. »

Quavis modificatione supposita, haud videtur Pallium ad indumentum huiusmodi referri posse. Ceterum gravia testimonia et argumenta pro hac asserenda origine haud suppetunt; qui etiam scriptores ad Ephod referunt Pallium, non adeo historicam adstruunt originem quam imitationem quamdam ut utriusque foederis Pontifices peculiaria quaedam indumenta habuisse evincant.

CAPUT V.

NEQUE EX RATIONALI.

Haud diversimode sentiendum de altera opinione quae Pallium repetit ex Rationali, quod exclusive ad ipsum veteris legis supremum Pontificem pertinebat. Fundamentum deducitur ex Alcuino in Capitul. VII. c. 79. » Pro Rationali nunc summi Pontifices, quos Archie- » piscopos dicimus, Pallio utuntur, quod a summa Sede » Apostolica dante accipiunt. »

Attamen Rationalis descriptionem ex documentis hebraicis ita exhibet Iahnius Arch. Bibl. §. 358. « Ad pectus

» huius vestimenti (nimirum Ephod) erat spatium qua-
» dratum unius spithamae חשד Rationale ita adaptatum
» erat ut intrinsecus Ex. XXXIX. 9. instar marsupii du-
» plicatum, extrinsecus vero duodecim gemmis quadru-
» plici serie dispositis ornatum esset, quibus nomina tri-
» buum insculpta erant: quatuor annulis ipsi Ephod
» annexum et fasciis hyacinthini coloris alligatum, duabus
» porro catenis aureis in utroque humero fixis pendebat,
» atque singulari cingulo ipsum Ephod totum ambientem
» adstrictum erat. » Enimvero si Pallium Graecum, vel Latinum, moderna vel antiquiori forma cum hac Rationalis descriptione conferatur, patebit vel minimam similitudinem inter unum atque alterum ornamentum occurrere. Nullum vero ex antiquitate argumentum, nullum probabile indicium, praesertim in appellationum similitudine ut Pallium ex Rationali deduci possit. Si etiam Alcuini verba perpendantur, exurget non adeo ipsam Pallii veram originem ab eo ex Rationali adstrui, potius superadditum sensum, quo ornamentum istud per accommodationem quamdam cum Iudaici Pontificis ornatu conferatur.

CAPUT VI.

NEC PRIMO INVECTUM OB RATIONES MYSTICAS.

Aliquid adnotandum superest de mysticis Pallii significationibus, eo praecise sub respectu num ipsa Pallii institutio sit inde repetenda. Innocentius III. de Myst. Missae docet Pallium esse *Divinis gravidum Sacramentis*.

Primum ac praecipuum educitur ex materia qua Pallium efformatur, lana videlicet, ut boni pastoris oves sibi creditas curantis ac imprimis aberrantem ovem in-

ventam ac super humeros ad ovile gestantis officium designet.

Item ex Innoc. III. in lana asperitas, in candore benignitas designantur, quae in optimo Praesule opportune misceri ac temperari debent.

Gregorio M. in viliori materia qua Pallium conflatur venit humilitas, qua Praesulem excellere oportet.

Per formam circuli iuxta Innocentium III. designatur *torques aurea, quam legitime certantes accipiebant*. Constringi humeris, indicat timorem Domini per quem opera coercentur ne vel ad illicita difluant vel ad superflua relaxentur: in duas veluti partes dexteram et sinistram spectari, quia Praesul forti animo debet vitae praesentis molestias perferre, toto affectu ad futurae quietem aspirare.

Fasciae a pectore ac retro pendentes ex Honorio Augustodunensi *in gemma animae* aperiunt quomodo Antistes in utraque lege plene instructus esse debet: iuxta Innocentium III. activae et contemplativae vitae nexum designant.

Cruces, quod passionem Domini meditari atque imitari Antistes praecipue debeat: nec sensu caret numerus quo ipsae Cruces iterantur, vel aciculae, quibus Pallium affigitur.

Licet mysticis significationibus Pallium praestet, atque eaedem maximo in cultu haberi debeant, cum praesertim Benedictionis in precibus eaedem commendentur, atque in decretis ac litteris Summorum Pontificum firmentur; attamen haud videtur Pallii origo seu institutio ex illis esse repetenda. Profecto in huiusmodi rebus ratio aliqua historica anteire solet, cui deinde mysticae significationes accesserint. Id etiam suadetur cum ab antiquiori aetate Pallium in Oriente atque Occidente in usu fuerit, quin institutionis initium proferatur: maxima insuper in ipsis mysticis sensibus assignandis

adest varietas. Cum institutio ritus alicuius fit ad figuratum tantum sensum promendum accurate illius memoria servari consuevit, perspectaque manet ratio quae ceremoniae instituendae plena perfectaque causa extiterit.

Praecipua Mystica ratio ea esse videtur, ob quam designetur ovium cura pastoribus tradita: at qua de causa, in Occidente saltem, ab antiquiori aetate, non omnibus Episcopis Pallium commune fuit? Cur etiam si ad *vellus* exprimendum fuit Pallium institutum, hoc ipsum velleris nomen adhibitum non est: aliaque usurpata vocabula apud Graecos et Latinos quae ad rem illam haud pertinere videntur?

Demum conatus eruditorum ad Pallii originem deducendam, et ratio ipsa loquendi a plerisque adhibita dum illam incertam atque obscuram asserunt, indicio est ex mysticis significationibus, quae omnibus sunt perspectae, haud esse illam derivandam: imo qui hasce mysticas significationes fusius tradiderunt, non ita eas proferunt ut inde prorsus Pallii institutionem repetant, e contra eius originem absconditam atque incertam iidem asserunt.

CAPUT VII.

PALLII ORIGO PROPONITUR.

ARTICULUS I.

Ex usuali pallio.

Nonnulli agentes generatim de sacro Pallio eam quoque obiter sententiam insinuaverant qua ex communi Pallio deduceretur, cui tamen vix adhaerebant, et generatim incerta Pallii origo asserebatur ob actualem, uti arbitror, utriusque indumenti discrepantiam. Hanc itaque

sententiam accuratius perpendendam assumo ut de Apostolici Pallii origine, ad quam potissimum haec disquisitio dirigitur, deinde agam.

Vestis propria Graecorum ac generatim Orientalium pallium erat teste Plauto aliisque omnibus antiquis scriptoribus. Quemadmodum enim Romani passim supra tunicam utebantur toga; Graeci itidem super tunicam adhibebant pallium, quadratum nempe velum quod humeris impositum a tergo descendebat, ac pro lubitu etiam brachia et anteriorem partem operiebat. Probe autem pallium est distinguendum a paenula, quae invecta est pro itineribus vel ut tutamen esset a pluvia et aere immitiori: pallium enim honesta prorsus ac decora vestis erat, haud minus quam apud latinos toga.

Pallio itidem Iudaei utebantur. Num. XV. 38. « lo-
» quere filiis Israel et dices ad eos ut faciant sibi fimbrias
» per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthi-
» nas: quas cum viderint recordentur omnium mandato-
» rum Domini, nec sequantur cogitationes suas et ocu-
» los per res varias fornicantes. » Insuper Deuteronomii cap. XXII. 12. cum Hebraeis forma vestium designatur: « funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pal-
» lii tui. »

Cum adductis testimoniis ex veteri Testamento conferre iuvat quae in novo habentur. Matth. c. XXIII. v. 5. « Di-
» latant enim philacteria sua et magnificant fimbrias
» τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν » Luc. c. VIII. v. 64.
» Tetigit fimbriam vestimenti eius τοῦ κράσπεδου τοῦ ἱμα-
» τίου αὐτοῦ. » Adnotandum priori in testimonio vittas illas a Mose praescriptas designari: siquidem Pharisaei dicuntur praecise magnificare fimbrias, latas nimirum fimbrias seu vittas in palliis habebant. Rursus de pallio Matth. c. V. v. 40. « Et ei qui vult tecum iudi-
» cio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei

» et pallium τὸ ἱμάτιον : » Nonnisi vero de pallio explicari possunt quae Angelus ad Petrum carcere herodiano detentum habet Act. c. XII. v. 8. « Circumda tibi » vestimentum tuum et sequere me περιβάλου τὸ ἱμάτιον σου καὶ ἀκολούθει μοί. » Enimvero in antiquioribus quae supersunt Christi et Apostolorum, quemadmodum et Prophetarum ac virorum illustrium antiqui foederis, imaginibus pallium iugiter supra tunicam occurrit, quod in pictis, sculptis, vitreis, musivis operibus Christianae antiquititatis perspicuum existit.

Nullam quidem peculiarem vestium formam veteres Christiani habuerunt: nec dubitare licet Romanos, nobiliores praesertim, togam induisse: frequentissimus attamen pallii usus tunc temporis per orbem, per ipsam Italiam et Romae etiam evaserat: feruntur querelae, ineunte Imperio, quod abiic eretur toga: Graecorum mores in hoc etiam praevalebant, cum praesertim pallium utpote a Graecis philosophis adhibitum in honore veluti sapientiae signum haberetur. Hinc Romani qui philosophiae se addicebant *ex toga ad pallium* transire ferebantur, qua de re plura videre est penes Tertullianum. Hisce omnibus de causis, Pallii usum frequentissimum apud Christianos extitisse facile quisque agnoscit: ex documentis vero praesertim Tertulliani patet.

Mirum vero esse haud debet quod sicuti pro Christiano cultu plura communia olim indumenta nonnullis cum modificationibus aptata fuerunt; pallium ipsum inter sacra ornamenta fuerit recensitum, principem imo locum obtinuerit, prout in communibus indumentis praecipuum ac magis perspicuum erat. Ut enim omittam profanae, dehinc sacrae, philosophiae signum illud extitisse; ex veteri testamento, ob designatas fimbrias, memoriale erat mandatorum Domini et continentiae a mundanis; imprimis vero Christus, Apostoli, aliique Chri-

stianae Fidei praecones atque ecclesiarum fundatores eo usi noscebantur, atque in eorum imaginibus pallium perspicuum erat.

Enimvero cum ad personae indumentum pallium refertur, nonnisi superiorem illam quam descripsimus vestem denotat, haud alio in sensu usurpatum constat. Fuerit quidem angustius vulgare pallium, latius vero philosophicum et peculiari quadam nota distinctum ut Ferrario *de re vestiaria* placuit, pretiosius etiam diversique ornatus pro induentis conditione; pallium eam tantum apud veteres notionem exhibet. Profecto si indumentum aliquod haberemus quod a vetustiori aetate generatim togae nomine appellatum fuerit, quis originem ipsius ex toga negare auderet? Tunicae nomen servatum et pro sacris indumentis est: dubitari ne potest ex veteri tunica ecclesiasticam tunicam prodire? Idem aequo iure de Pallio est asserendum, nec video cur hypotheses sint effingendae vel in incerto res relinquenda, cum praesto illius explicandae ratio suppetat, profecto quo simplicior eo verior.

ARTICULUS II.

Solvitur difficultas.

Explananda porro est difficultas quae deduci posset ex eo quod sacri Pallii forma vix commune aliquid videatur habere cum antiquo pallio: illud enim erat amplum velum quo persona operiebatur; sacrum vero Pallium sive latinum sive orientale non est nisi fascia quaedam magis vel minus lata quae humeris ac pectori circumponitur.

Recolendum tamen est longo saeculorum intervallo vestes sacras Christiani cultus, quarum plures saltem

ex communibus indumentis exortae sunt, varias quoque et apud diversas gentes modificationes subiisse: nil mirum proinde si idem in Pallio contigerit.

Neque vero explicatu difficile est qua ratione Pallium ad eam formam redactum fuerit, quam usus Ecclesiasticus Orientis et Occidentis exhibet. Consideranti enim vetus pallium, illudque cum sacro conferenti facile occurrit vetus illud obvolutum et contractum fuisse: nimirum vel ne impedimento sacris peragendis esset, ne operiretur casula quae pretiosiori materia fieri coepit; potissimum, hanc imo veram causam censeo, ut pateret illud non adeo ad proprium, sacrum licet usum, ut aliae vestes, sed per imitationem quamdam et in obsequium priorum Ecclesiarum fundatorum, qui usi eo fuerant, gestari. Ceterum si quis Pallii tum Latini tum orientalis gestandi formam ac rationem perpendat; facile agnoscet illud ea ratione aptari in antiquioribus praesertim imaginibus, quemadmodum vetus pallium gestabatur, atque inprimis qua ratione eius fimbriae circum fluebant: adeo ut existimari merito possit, reliqua pallii parte abiecta, eas potissimum fimbrias vel vittas fuisse servatas, quae Deo mandante tanto in honore apud Hebraeos ex Pentateucho ipso erant, ac mandatorum Domini nec non continentiae a mundanis signum ac memoriale fuerant constitutae. Alia autem forma, quae apud syros praesertim mansit, fascia media detruncatis hinc inde partibus relinquitur.

—

CAPUT VIII.

PALLII APOSTOLICI ORIGO DECLARATUR.

ARTICULUS I.

Ex solemni veterum praxi pluribus documentis firmata.

Quae generatim de sacri Pallii origine animadvertebam hactenus, suadere illico videntur Pallium, quo ab antiquissima aetate Romani Pontifices instructi conspiciuntur, exhibere ipsum beati Petri Apostolorum Principis pallium seu vestem superiorem, qua in eius obsequium et ad illum vividius repraesentandum Romani Pontifices usi sint atque utantur.

Plura occurrunt quae hanc Apostolici Pallii originem signanter ostendant, licet indirecte et ipsam sacri Pallii generalem notionem hactenus traditam firment: ad haec itaque argumenta declaranda mox accedo.

Adnotare in primis praestat apud veteres hunc viguisse morem ut pallium seu superior vestis eorum, qui in pretio ac cultu habebantur, obsequii et imitationis causa ab aliis sumeretur: imo per pallii traditionem et usum, illorum veluti spiritus et virtus in hos transfundi censerentur.

Deo ipso auctore in veteri Testamento factum id perspicitur. Recolenda imprimis quae habentur III. Reg. 19. 16. « Ait Dominus ad eum (Eliam) ... Eliseum » autem filium Saphath, qui est de Abelmeula, unges » prophetam pro te. » Id vero hac potissimum ratione perfectum deinde constat ib. v. 19. « Cumque venisset » Elias ad eum (Eliseum) misit pallium suum super » illum. » Libro vero IV. cap. II. vv. 13. 14. exhi-

betur Eliseus inspiciens Eliam per turbinem ascendentem in coelum: « Et levavit pallium Eliae, quod ceci-
» derat ei: reversusque stetit super ripam Iordanis. Et
» pallio Eliae, quod ceciderat ei, percussit aquas et non
» sunt divisae: et dixit ubi est Deus Eliae etiam nunc?
» Percussitque aquas et divisae sunt huc atque illuc, et
» transiit Eliseus. » Constat ex his omnibus Eliam per sui pallii immissionem prophetam inaugurasse Eliseum atque, Elia abscedente, eius pallium divina ordinatione Eliseo derelictum, quo signo intelligeretur Eliae spiritus in Eliseum veluti transfusus: Eliseum denique eo pallio usum ad Eliae opera, miracula praesertim, perpetranda. Porro quanto in honore Prophetarum aliorumque veteris foederis insignium virorum gesta apud Christianos existerent, Ecclesiae antiquitates demonstrant et imprimis prioris aetatis monumenta quae frequenti, recondita saepe saepius ratione, utriusque testamenti oeconomiam coniunctam ac dispositam exhibent.

Ad Christianam quod attinet Ecclesiam, S. Pauli Aegyptii Eremitae gesta praeferunt Athanasium Alexandrinum Antistitem S. Antonio tradidisse pallium, illudque, Paulo ipso postulante, ad suum corpus pro sepultura operiendum fuisse adhibitum. «Quamobrem quaeso perge
» nisi molestum est et pallium quod tibi Athanasius Epi-
» scopus dedit, ad obvolvendum corpusculum meum
» defer: stupefactus Antonius quod de Athanasio et pallio
» eius audierat » etc. S. Hieronymus in vita Pauli. Haec eo dirigebantur ut Antonii et Pauli consensus in asserenda cum Athanasio Verbi divinitate commendaretur.

Vidimus Metrophanis Pallium sacrae mensae impositum, illudque ipsum successori Alexandro servatum.

Ex Niceta Paphlagone in vita S. Ignatii Constantinopolitani habemus. « Illum sacro patriarchae ornatu
» ex more domestici vestiunt, et venerandum Iacobi

» fratris Domini superhumerale cum veneratione illi » induunt. » Refert ante aliquot annos illud Hierosolymis missum, Ignatium tanta veneratione illud prosecutum ac si ipsum Iacobum Apostolum in eo *humerali* spectasset, et mandasse ut secum sepeliretur.

Luculentius attamen longe est testimonium quod habet Liberatus Diaconus in historia Nestorianorum et Eutychianorum cap. 20. cum de ordinatione Theodosii in sedem Alexandrinam post Timothei mortem loquitur. « Consuetudo quidem est Alexandriae, illum qui de» functo Episcopo succedit excubias super defuncti cor» pus agere, manumque dexteram eius capiti suo im» ponere, et sepulto manibus suis, accipere collo suo » beati Marci pallium et tunc legitime sedere. » Constat nimirum ex Liberato, illico post Episcopi Alexandrini obitum electionem novi antistitis peragi consuevisse, electum immediate ordinatum, eumdem defuncti Antistitis corpus custodisse ac sepulturae tradidisse, antea vero pallium ex defuncti Episcopi corpore sustulisse suisque imposuisse humeris ea ratione ut circa collum responderet, pallium fuisse S. Marci: ideoque S. Marci pallium ex uno in alium transiisse Alexandrinum Antistitem.

Difficultas aliqua contra Liberati narrationem exurgere posset ex iis quae habentur in actis Petri Alexandrini Episcopi « Petrum indutum vestibus sacerdotalibus » albi coloris colobio et omophorio, triumphali pompa » ad coemeterium delatum sepulturae mandatum fuisse. »

Attamen quaevis sit documenti huius, recentioris quidem aetatis, auctoritas, optime cum Liberati testimonio illud cohaeret. Siquidem Petrus Alexandrinus cum omophorio, triumphali pompa, ad coemeterium delatus perhibetur, non vero cum ipso eodem omophorio sepultus: Liberatus vero satis indicaverat Pallii

detractionem evenisse immediate ante tumulationem defuncti Episcopi, adeo ut, expleto funere per successorem, is detractum ex illius corpore Pallium S. Marci assumeret. Ceterum cum mentio tantummodo fiat in actis Petri de colobio (nimirum tunica) et omophorio, haud renuerem agnoscere in eo omophorio proprium pallium seu casulam, quibus indumentis, seposito iam S. Marci pallio, Petrus Alexandrinus sepultus sit.

Acta ipsa Petri Alexandrini ritum a Liberato descriptum assumendi pallium referunt. Liberati item testimonio respondere videntur quae Isidorus Pelusiota Patriarcham Alexandrinum Cyrillum alloquens ep. 370. Lib. I. protulerat. « Filius tuus sum, quippe qui magni illius » Marci speciem atque habitum praeferas » edit. Iacobi Billii. Saeculo tamen septimo ac deinceps de ritu huiusmodi haud amplius mentio occurrit, forte ob ea quae a Mohamèdanis exinde Christiani pati debuerunt, unde etiam evenit ut electiones et consecrationes Antistitum Alexandriae clam in monasteriis potissimum fieri debuerint. Porro apud Alexandrinos Antistites ea a primordiis consuetudo invaluisse dicenda est, siquidem perpetuam et constantem ea documenta prioribus saeculis exhibent.

Placuit in his declarandis diutius immorari, siquidem praxis illa Antistitum Alexandriae de assumendo Pallio S. Marci, iis consentanea quae generatim constant de solemni praxi aliorum pallia sumendi ad obsequium atque imitationem significandam, satis superque ostendere videtur nonnisi S. Petri Pallium esse agnoscendum in Pallio quod Romani Pontifices ea ipsa aetate adhibebant ac tanto in cultu iugiter habuerunt. Neque abs re erit adnotasse Liberatum latinum scriptorem ipsum Pallii nomen habere, eo tempore scripsisse, saeculo videlicet sexto, cum vocabulum Pallii

certe indumentum de quo agimus designabat, ea pene forma uti modo in usu est: eo ipso tempore quo Pallium in imaginibus pingebatur, ac litterae pro Pallii concessione tradebantur. Id etiam clarissime patet ex eo quod Pallium illud S. Marci circa collum appositum refertur, adeo ut ad fasciae modum redactum seu colligatum et penes Alexandrinos extiterit. Licet vero Liberatus aliique, pro re nata, de Marci Pallio locuti sint, implicite firmare videntur in Romanorum Pontificum Pallio, quod eodem nomine ac forma erat, nonnisi Petri pallium esse agnoscendum.

Cui quidem argumento maior quoque vis accedere videtur ex arctissima coniunctione inter Ecclesiam Alexandrinam a Marco fundatam et Romanam quae Petrum auctorem primumque Pontificem habuit, cum Marcus Petri discipulus, in Urbe evangelizanda socius et adiutor, atque Alexandriam ex Urbe ab ipso Petro missus fuerit. Profecto quod, in obsequium discipuli, Alexandriae praestabatur, potiori iure ad honorandum magistrum et quidem Apostolorum Principem, totius Ecclesiae Primatem, Romae praestitum dici debet, cum hic atque illic Pallium huiusmodi in honore fuerit: cumque tres vel quatuor annos Marci obitus martyrium Petri praecesserit; quod Anianus in obsequium Marci praestitit, idem ad Petrum commemorandum a Lino ac successoribus Pontificibus in Pallio assumendo factum certe est, in cuius potestatis plenitudinem succedebant.

—

ARTICULUS II.

Ex iis qui ad priores Romanos Pontifices Pallium referunt.

Opportune autem hic sese offerunt testimonia quorumdam veterum scriptorum, qui a Lino Pontifice immediato Petri successore Pallium repetunt. Hactenus haec testimonia parvi habebantur quatenus intelligerentur de aliquo decreto Pontificis Lini instituentis novum quoddam ac mysticum ornamentum sub Pallii nomine: immerito tamen ut mox patebit.

Primum eruitur ex sermone de Epiphania Eusebio Caesareensi adscripto, antiqui auctoris, quisquis ille fuerit. « Nihil antiquius veste illa sacerdotali archipraesulis » nostri, quae illi vesti de V. T. successit Ephod bysso » auroque contextae, qua in signum plenissimae po- » testatis primus Linus amictus est, cui et typum dedit » et nomen ut a veteribus accepimus scriptoribus, quam » appellavit et Pallium. »

Qua ratione per imitationem quamdam Pallium referatur ad Ephod, iam supra cap. IV. adnotavi. Quod ad veram originem attinet, auctor refert Pallio primo Linum amictum fuisse, idque a scriptoribus, eo tempore veteribus, referri. Facti testimonium eo gravius est quod ratio facti ipsius veluti lateat, nullam itaque praeconceptam opinionem auctor tradere intendebat. Tantum dicitur Linus *Pallio amictus primo fuisse*: nimirum, quia Petri pallio immediatus eius successor primo amictus est: Pallium item ad Petrum esse referendum indicant ea verba *in signum plenissimae potestatis*, quam nimirum uti Petri successor obtinebat: optime vero additur *cui typum dedit et nomen,* quia ipsum Pallium in Petro erat usualis vestis, in Lino sacrum indumentum, typus successionis, signum plenissimae potestatis.

Eadem ferme occurrunt in sermone de veste sacerdotali, cui nomen S. Maximi praefixum est.

« In lege gratiae antiquum est illud nostrum Ephod,
» idest Pallium, quod nostri Patriarchae arbitrantur a
» Lino post Petrum secundo Romano Pontifice institu-
» tum et in singulare potestatis privilegium nostris Deo
» plenis Praesulibus datum. »

Quo sensu Pallium deducatur ex Ephod iam est explicatum: at plura quoad historicam Pallii originem inibi asseruntur 1. Pallium institutum a Lino secundo Romano Pontifice, Petri videlicet immediato successore, quatenus, ut ex altero habemus testimonio, primo ipse Pallio amictus sit. 2. Eam esse Praesulum Orientalium doctrinam et traditionem. 3. Datum ab Apostolica Sede Orientis Praesulibus in singulare potestatis privilegium.

Prostant haec testimonia penes Catalanum comment. ad Ceremoniale R. E. edit. Rom. 1750 t. I. p. 342.

Oldoinus in Ciacconium alteri innixus testimonio, Pallii ad Clementem institutionem revocat: profecto ut allati argumenti vis consistat, satis est ut ad priores Romanos Pontifices proximos Petri successores Pallii usus referatur. Est insuper adnotandum quod, licet vera chronologia Linum Petri immediatum successorem statuat, apud nonnullos veteres scriptores, orientales praesertim, Clemens priori in loco exhibetur: hinc forte est repetendum testimonium de Pallii institutione per Clementem, licet verius institutio seu potius prima susceptio Pallii ad Linum per alios referatur, qui reapse primus post Petrum in Romana cathedra sedit.

—

ARTICULUS III.

Ex actis Materni.

Confirmari idem potest ex iis quae Acta Materni et Rupertus Abbas Tuitiensis habent T. 1. de Divinis officiis cap. 27. nimirum « Maternum a S. Petro missum Treverim » haereditatem Pallii suis successoribus reliquisse. » Porro ius gestandi Pallii in Episcopis Trevirensibus deducitur ex Materno illius Ecclesiae fundatore, atque ea ratione ut Maternus reliquerit successoribus *haereditatem Pallii:* profecto si haec verba deinde ad ius Pallium induendi denotandum traducta fuerint, per se et proprie indicant ipsum pallium in haereditatem Materno et successoribus relictum. Si vero id fecisse refertur Maternus pro suis Trevirensibus, accepta missione et potestate a S. Petro, profecto potiori iure agnitum id de Petro existimandum est pro Romanis Pontificibus, qui omnimodae eius potestatis haeredes erant: cumque in Pallio illo haereditario Trevirensi, Materni pallium, quod tamen typice in Petri ipsius pallium resolvitur, sit agnoscendum: patet ipsius Petri pallium intelligi eo in Pallio, quod haereditario item iure Linus aliique deinde Pontifices assumere consueverunt.

ARTICULUS IV.

Rursus ex iis quae circa Pallium Apostolicum in usu habentur.

§. 1. Ad Petrum refertur.

Haec autem maius certe robur acquirere videntur ex alia argumentorum serie, unde constat sacrum istud Pallium multiplici quidem ratione ad Petrum ipsum diserte referri. Enimvero haec Pallii relatio ad Petrum in

omnibus ferme documentis quae ad ornamentum istud pertinent conspicua est, et quidem eo validior quod nil huiusmodi occurrat de aliis muneribus quae a Romanis Pontificibus tradi consueverunt. De Pallio in favorem Syagrii Augustodunensis haec habet Gregorius Lib. IX. ep. 109. « Pallium ad Missarum solemnia uten-
» dum transmisimus ut quia adiuvare spiritalia studuit
» (Anglicanam videlicet Augustini missionem), *Apostolo-*
» *rum Principis solatio* in ipso quoque inveniatur spiri-
» tuali ordine profecisse. » Item de Pallio in favorem Leandri Hispalensis, litteris superius allegatis, ait esse illud a « beati Petri Apostoli sede » « ex benedictione B. Petri Apo-
» stolorum Principis » alias, munus B. Petri dicitur. Cum etiam ad Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum Pallium delatum esset, habetur apud Eadmerum « omnes in
» obsequium Petri illud fuisse osculatos. » Profecto cum pallium in sensu indumenti nonnisi superiorem vestem designet supra tunicam assumi solitam, ista relatio Pallii sacri ad Petrum, nexum cum pallio seu superiore Petri indumento importat.

§. 2. De Corpore S. Petri.

Imprimis vero est animadvertendum Pallium Apostolicum a vetusta aetate de corpore S. Petri nuncupari. Ea ratione sermo de Pallio instituitur, Pallium designatur, Pallii petitio, concessio ac traditio fieri consuevit ac modo etiam fit, uti *Pallium de Corpore S. Petri*. Certe quoad Alexandrinos Antistites Pallium de corpore S. Marci quid importasset ex Isidoro Pelusiota, Liberato, et actis Petri Alexandrini innotescit, nimirum S. Marci pallium: a pari itaque S. Petri pallium est prorsus intelligendum in Pallio *de corpore s. Petri*.

Obiici posset data aliquando fuisse palliola quaedam, quae antea sepulchris Apostolorum fuerant apposita, quae

sanctuaria dicebantur et Reliquiarum more servabantur, adeo ut ad haec et Pallium de quo agimus sit referendum. At latissimum discrimen inter palliola ista quae aliquando saeculis mediis tradebantur, et Pallium Pontificale: quoad illa nil praestitum ex iis quae vel diximus vel mox proferentur de Pallio Pontificali, imo nec appellabantur Pallia de corpore s. Petri. Imprimis vero uti mappae seu mantilia iugiter exhibentur, numquam vero tradita ad personae indumentum ea palliola, quemadmodum iugiter indumentum personae Pallium Pontificale habitum est.

Argumentum eductum ex ea formula *Pallium de Corpore s. Petri* declarari posse videtur, siquidem animadvertantur plures antiquae imagines praesertim caemeteriales quae demortua corpora exhibent vel in speluncae intima parte, uti Lazari cadaver, vel in reserata capsa: defuncti enim corpus ita linteo seu Pallio advolvitur ut albis quibusdam fasciis circulatim ad spirae modum deductis circumdetur. Profecto haud inopportune ea pallii forma corpori apposita respondere videtur S. Pallii typo, nec non locutioni illi *de corpore S. Petri.*

---

§. 3. Pallii benedictio.

Accedit antiqua consuetudo ut multiplici sub respectu Pallii benedictio ad ipsum beatum Petrum Apostolum, eiusque inprimis tumulum referatur. Ritibus plurimis, quae ad materiam ipsam unde efformatur, lanam videlicet, eiusque mysticos sensus referuntur, praemissis; in festo martyrii Principis Apostolorum, cum videlicet pallium dimisit, Pallii benedictio peragitur post vesperas per ipsum Pontificem, ex Pontificia Sede, sacra agentem ad sepulchrum Principis Apostolorum. Pallia vero disposita iam fuerant prope ipsam Confessionem: ritu autem peracto, supra operculum seu foramen Confessionis ipsius, nimirum supra beatissimi Apostoli tumulum, in capsa quadam deponuntur, iugiterque ibidem asservantur. Licet vero huiusmodi ritus a Benedicto XIV. ea praecise ratione fuerit dispositus per Constitutionem *Rerum Ecclesiasticarum*, attamen quoad substantiam ab antiquiori aetate servabatur.

Antiquitus etiam saepe saepius per ipsum Pontificem haec Palliorum consecratio fiebat, at cum haud raro Pontifices Roma abessent, mos erat ut Pallia benedicerentur per Episcopum, qui matutinas horas festi ipsius praecinebat: benedictio fiebat propius ad ipsam Confessionem, atque in veteri ordine *vigilandi Pallia* exhibetur celebrans qui « intrat ad corpus B. Petri et ponit ea » super altare. » Peculiares, ea de re constitutae erant preces, quas edidit Cardinalis Thomasius prope finem primae partis operis *Antiqui missarum libri*. Neque est praetereundum quod refert Nicolaus de Bralion *de Pallio* p. 66. capsam cum Palliis post benedictionem una quidem nocte supra Petri corpus relictam, deinde vero super ipsius Cathedram, quae in sacrario erat, antequam per Urbanum VIII. in abside elevaretur, fuisse serva-

tam. Profecto disciplina haec universa quoad Pallii benedictionem satis superque indicat ad Petrum ipsum indumentum istud esse prorsus referendum.

§. 4. Pallii assumptio per Pontificem.

Demum in primis est considerandum quod Romani Pontificis consecratio ab antiquiori aetate ad sepulchrum beati Petri, cum per adiuncta licuit, iugiter sit peracta; eaque regula solemnis ac sanctissima Romanae Ecclesiae existit. Praxis huiusmodi maiori attentione digna per ea saecula dignoscitur cum Urbis moeniis ea Basilica haud comprehendebatur, campi interiacebant, Pontificia domus haud inibi erat: penes Lateranensem Basilicam Pontifices morabantur et solemnioribus praesertim diebus, sacra solemnia in hac per Pontifices peragebantur. Attamen, quoad liceret, ad Vaticanam Basilicam Pontificis electio facta est: id in primis firmum erat ut ad aram supra beati Petri sepulchrum Pontificis ordinatio fieret, acciperet mox Pallium, ac primo ibidem sacrum solemne perageret. Satis sit proferre librum diurnum Romanorum Pontificum, qui saeculis 7. et 8. usu erat receptus, a Garnerio editum cap. II. tit. 8. *Ritus ordinandi Pontificis:* «Procedit Electus de secretario et venit ad » confessionem . . . . Episcopus Ostiensis consecrat eum » Pontificem. Post haec Archidiaconus annectit ei Pal- » lium, deinde ascendit ad sedem et dat pacem omni- » bus sacerdotibus, et dicit, Gloria in excelsis Deo. » Unusquisque facile intelligit antiquissimi ritus istius, qui accuratissime hactenus servatur, sensum eum esse ut Pontifex quisque veluti alter Petrus iugiter ex Petri sepulchro assurgere censeatur: cumque ordinatio Pontificis et prima Pallii receptio ad Petri tumulum fiant, patet ritum Alexandrino admodum similem in Romana Ecclesia viguisse ac vigere adhuc pro novi Praesulis in-

auguratione, et quemadmodum illic Marci, ita hic Petri Pallium eorumdem successoribus traditum.

ARTICULUS V.

Coloris ratio confirmat.

Coloris ratio mirifice designatam Pallii ostendit originem. Pallium albi coloris est ac iugiter extitit, quemadmodum ex documentis allatis atque in imaginibus quibuslibet occurrit. Hinc opportune excluditur Pallii origo ex Imperiali indumento vel chlamyde, quae certe purpurea erat. Recolamus itaque oportet, vetustiores Apostolorum imagines constanti prorsus typo exhibere non modo albas tunicas, sed alba item pallia humeris imposita. Videantur musiva opera quae habentur in Basilicis S. Laurentii extra moenia, SS. Cosmae et Damiani, S. Ceciliae, S. Praxedis, S. Marci atqui alibi: vetustiores dixi, quia in recentioribus a saeculo decimo canon iste haud accurate ab opificibus servari coepit. Porro coloris uniformitas quoad S. Pallium de quo agimus, album apud latinos et graecos, cum iis quae in Apostolorum habitu occurrunt, palliis; rursus confirmat Apostolicam Pallii originem, et quidem Pontificii Pallii ex Petri pallio. Profecto licet apud nonnullos Orientales, S. Pallii color ad instar aliorum indumentorum fuerit aptatus; consensus Romanae Ecclesiae Graecorum aliorumque Orientalium in albo Pallio servando, etiam cum in reliquis sacris indumentis tanta colorum varietas induci coepit, vetustae cuidam praxi innititur, eaque facile detegitur in albis palliis, quae Apostolorum imagines iugiter exhibent.

Credibile imo admodum est ipsos Apostolos reapse albi coloris pallia et tunicas, dum viverent, gestasse, primo, quia in supradictis vetustioribus imaginibus ita

exhibentur et quidem constanti prorsus ratione: imo cum operis detrimento, pictoribus enim displicet coloris unius repetitio in duplici unius figurae indumento, multo magis cum idem in pluribus figuris servandum sit. Id vero artifices haud subiisse censeri possunt nisi rei veritate adacti, ex traditione de eorum moribus, atque ex Antistitum regimine, qui nil ferme antiquitus eorum arbitrio relinquebant.

Constat insuper vestes albi coloris per ea tempora, aevo nimirum Apostolico, maximo in usu fuisse tum apud Iudaeos tum apud Romanos, et quoad hos sedulo ab albis sunt distinguendae vestes candidae, cum lanae per fullones creta adderetur, quaeque nonullorum tantum erant propriae, eorum videlicet qui magistratus petebant et Candidati dicebantur.

Tali insuper colore maxime morum simplicitas ac vitae innocentia, exprimitur: aptissima item forma ad laetitiam et solemnitatem designandam: atque ut omittam superstitionis ethnicorum ministros, in veteris foederis cultu albus item color eminebat. Nil mirum itaque si hunc praesertim Apostoli selegerint vel in universa induendi ratione: praesertim vero ad sacra peragenda.

Argumentum etiam ea de re habetur in albis indumentis, quae in omnium solemnitatum maxima, Paschate videlicet, servantur: item in Natali Christi Domini, in Dedicatione Ecclesiarum, et quod potissimum attendendum, pro RR. Pontificum atque Episcoporum ordinatione saltem quoad ipsum ordinandum, uti in anniversariis harum solemnitatum. Profecto recentius peculiaribus de causis alii colores invecti sunt, antiquissimus albus videtur: eaque consonantia coloris veterum indumentorum cum palliis Apostolorum in eorum imaginibus et cum s. Pallio, huius originem ex Apostolica in sacris praesertim induendi ratione mirifice firmat.

Obiici posset quod cum per musiva Ecclesiarum opera coelestis patria veluti aperiatur ac perspicua inspectanti populo exhibeatur; albae vestes in gloriae signum tribuerentur, quemadmodum passim viginti quatuor seniores iuxta Apocalypsim candidis vestibus induti ibidem repraesentantur.

Primo est animadvertendum Apostolos iisdem vestibus indui albis etiam cum extra curiae coelestis ambitum exhibentur, ut in arcu Placidiae Basilicae Ostiensis ac Lateranensi triclinio Leonis III.

At musiva opera coelestem Ierusalem cum respectu ad militantem Ecclesiam exhibent, ac nexum inter utramque perbelle repraesentant: servant vero quae singulorum, cum in terris agerent, in primis quoad vestes, propria erant. Insuper Christus saepe etiam alterius coloris subobscuri vestes habet: profecto si gloriae habitus, ut ita dicam, albus existeret, is potissimum in Christo fuisset servandus: alii sancti viri, praeter Prophetas et Apostolos, licet iis admixti, albas vestes raro admodum praeferunt ut videre est in memoratis pluries musivis operibus. Seniores utique in vestibus albis sunt, quia integra ratio eos exhibendi ex apocalypsi exurgit, ubi his induti memorantur. Proinde regula ista effingendi Apostolos vestibus albis educenda est potius ex eo quod propria illorum induendi ratio haberetur, ut ex adductis argumentis constat, atque imprimis ad ministerium ipsis traditum designandum. Quaevis demum ratio extiterit, privatae vestes vel solemnes albae fuerint, vel etiam gloriae coelestis habita sit ratio, certum est ab antiquissima aetate et constanter Petrum eo modo exhibitum ut pallium eius album fieret: porro coloris ista identitas inter Petri pallium et sacrum de quo agitur, relationem istius ad illud praesertim cum allatis documentis firmare opportune admodum videtur.

ARTICULUS VI.

Monumenta quaedam peculiariter ea in re attendenda.

§. 1. Antiqua Pontificis Imago.

Hic vero nonnulla occurrunt monumenta peculiari certe mentione digna.

Bianchinius in vitis Rom. Pontificum t. II. pag. 128. exhibet vetustam imaginem Pontificis in coemeterio Priscillae detectam ad viam Salariam, ubi putat exhiberi Pium I. excipientem votum virginitatis a Praxede vel Pudentiana. Porro Pontifex integra persona cooperitur supra tunicam manto seu pallio albo, et quidem ad fimbrias quae supra brachium dexterum extenduntur, apparent signa ut in palliis albis, quae Apostolorum imagines praeseferunt.

Praeter Virginis votum edentis imaginem, altera occurrit, quae eidem adstat imago viri togam gestantis. Profecto conformitas pallii in eo Pontifice cum pallio quod in Apostolicis imaginibus habetur, relationem Pontificii Pallii ad Petri pallium in Petri imitationem perbelle designat.

§. 2. Series Ostiensis.

Commemoranda deinde antiquissima Pontificum series, quae extabat in meridionali latere veteris Ostiensis S. Pauli Basilicae: ea ad S. Leonem I. merito refertur, atque exhibebat Pontifices a Petro ad Innocentium I. Omitto aliam quae saec. XIII. per P. Nicolaum III. addita fuerat, siquidem recentior admodum ea est, cum et opificibus amplior licentia fieret. Quod ad priorem illam attinet, anno 1720. curante Francisco Bianchinio diligentissima illius descriptio, opera etiam notarii adhibita

facta est, cuius acta apud ipsum Bianchinium perspici possunt in vitis Roman. Pontificum tom. 2. Prol. p. 77. Porro inde exurgit Pontifices omnes a Petro ad Innocentium I. eodem prorsus modo exhiberi nimirum cum alba tunica, atque albo item communi pallio humeris imposito. « Nec » dispar est habitudo facierum quas tribuit pictor Sum- » mis Pontificibus, in ea serie dispositis a S. Petro ad » Innocentium I. exhibens protomen singulorum orna- » tam candida tunica, purpureis limbis distincta in su- » turis, et pallio candido humeris superfuso. » Haec Bianchinius. Marangonius item qui peculiare opus in seriem Ostiensem edidit, hac ratione illarum imaginum pallium describit. « Pallii color albus in subflavum le- » viter degenerans, ob lanam in pullum colorem. » Haud contendam his integrum Pontificale ornamentum contineri, quod certe pro Pontificibus saeculi praesertim quarti incredibile videtur: attamen ea ratio exhibendi Pontifices cum tunica et pallio albo, et quidem eodem prorsus modo omnes cum Petro, qui pariter tunicam et pallium album gerit, maxime attendenda videtur ut nimirum pallium album a Petro in alios Pontifices transiisse fateamur, atque inde albi Pallii origo repetatur.

§. 3. Musivum ad S. Laurentium.

Attendendum quoque musivum opus quod habetur in Basilica S. Laurentii extra muros in facie postica maioris arcus, quodque rite nuper instauratum haud dubito. Petrus ex more tunica pallioque candido utitur: in extrema parte Pelagius II. invisitur, qui Pontifex extitit desinente saeculo VI. immediate ante S. Gregorium. Is tunicam habet albam, album aliud desuper indumentum, denique Pontificium Pallium album, ita ad pectus dispositum ut veluti cum casula unum quid efficiat, ac ferme casulae fimbrias efformare videatur; ex inferiori

tantum parte seiunctum dignoscitur. Profecto tota haec indumentorum ratio et imprimis consonantia illa albi coloris pro tunica, casula, et Pallio Pontificio in vetustiori ea imagine, evincit si non omnimodam, ut pro prioribus saeculis ex serie Ostiensi deducitur, maximam conformitatem saeculo sexto, redacto iam ad novam formam Sacro Pallio, inter induendi rationem Petri et Pontificum eius successorum.

§. 4. Triclinium Lateranense.

Revocanda item est attentio ad musivum opus triclinii Lateranensis, modo patens ad Sancta Sanctorum, quod a P. Leone III. erectum atque ornatum est ut Romanae Ecclesiae defensio Carolo Magno delata posterorum memoriae traderetur. Ad rem quod pertinet, in abside prope Christum Dominum hinc inde Apostoli exhibentur tunicis albis, palliis item albis omnes contecti. In arcu exteriori autem bis Petrus hinc inde recurrit: a dextris quidem claves a Christo accipiens tunica et *Pallio albo* indutus: a sinistris vero ipse Petrus sedet, veste item alba, *Pallium album ad fasciae, seu moderni Pallii formam* gerit, aliudque simile *Pallium album* Leoni III. Pontifici tradit.

Praeter constantem coloris convenientiam inter sacrum Pallium et Apostolicas vestes, adnotanda peculiariter est imago illa Petri Pallium Leoni porrigentis: siquidem excludit prorsus imperialem Pallii originem. Indicat Pallium proprium esse Petri, cum Petrus ipse illud deferat, illud quoque Leoni tradat, veluti praecipuum successionis atque haereditatis signum. Nisi dicamus signum sensu prorsus vacuum fuisse adhibitum (et certe collatio clavium a Christo ad Petrum in altera parte non est signum mere arbitrarium et sensu vacuum), existimandum est Petri ipsius pallium per illud designari,

illudque, egregia sane oeconomia, ad potestatis transmissionem, a Petro adhiberi, uti Christus alio typo ad potestatem Petri exprimendam claves tradiderat. Demum perpendere rursus iuvat Petri illam imaginem a sinistris: unusquisque facile agnoscet illud ad fasciae modum Pallium album cum universa Petri indumentorum albi coloris ratione apprime convenire, et quid unum efficere: rursus vero inde, quae adstruitur Pallii origo, ex Petri Pallio firmatur.

Difficultas forsitan exurget ex eo quod in ipsa illa imagine, Petrus praeter Pallium nova forma, commune pallium de more habere videatur, quod aliquis forsitan omissum desideraret si Petri pallium primum illud designet. Attamen licet praeter Pallium nova forma duplex album indumentum Petrus gerat, primo quidem alterum ad tunicae formam adeo accedit ut veluti ad alterius tunicae modum opifex aptare illud voluisse videatur: plures vero aliquando adhibitas constat. At assentiar commune pallium inibi agnoscendum. Saeculi octavi desinentis artifex, consueta forma Smum Apostolum exhibuisset cum tunica et pallio vulgari, addito etiam sacro Pallio, cuius ratio a pallio communi permutata adeo fuerat. Ni fallor cum veram ex sensu quodam traditionali Pallii originem nova pictura opifex insinuabat, haud valuit a communi typo pro Petri imagine, qui tum fuisset aliquantulum mutandus, recedere, et pallium usuale Petro servavit. Idem sacrum Pallium Petro addidit, alterum vero simile quod manibus Leonis consignet: artium status is erat ut pro actionibus exhibendis saepe saepius duplicarentur res in picturis, et artifex recentioris aetatis id, quod Leonianus spectabat felicius exhibuisset nempe, ut detrahendo sibi pallium Petrus Leoni illud ipsum porrigeret.

ARTICULUS VII.

Ex Crucibus.

In Pallio Pontificio nonnullae cruces existunt, modo quidem nigrae, idque haud constat qua de causa fieri coeperit labente saeculo decimotertio, cum ad dimidium usque illius saeculi iugiter rubrae cruces in Pallio asserventur. Quod probe est adnotandum, Graeci enim suo Pallio seu Omophorio rubras item cruces addebant ut ex eorum imaginibus patet, ac modo etiam purpureas auro admixtas adhibent.

Porro in Apostolorum communibus albis palliis, ornamenta quaedam passim rubri coloris exhibentur ut videre praesertim est in Lateranensi Triclinio. Palliorum extrema rubra sunt, item signa ac lineae in fimbriis quae ex collo hinc inde supra pectus excurrunt, quaedam etiam rubri coloris litterae in iis palliis notatae conspiciuntur. Profecto consonantia et quidem fere constans duplicis coloris albi ac rubri (aliquando haec signa sunt nigra) sacri Pallii cum Apostolico communi pallio, gravius quoque argumentum praebere videtur ut unum ex altero deducatur. Vel enim ipsas hyacinthinas vittas antiqui foederis prae oculis habuerint, siquidem color hyacinthinus est violaceus ad rubrum accedens, vel aliud spectaverint; certe ea signa purpurea in palliis albis, originem prodere videntur candidi Pallii cum rubris crucibus. Neque id fortuito evenire potuit cum huiusmodi habeatur Orientis et Occidentis consensus.

—

ARTICULUS VIII.

Ex materia qua conficitur.

Argumentum quoque accedere videtur ex materia qua sacrum Pallium efformatur, lana videlicet: quod quidem apud Graecos et latinos antiqua praxi pariter usurpatum constat: siquidem Isidorus Pelusiota pro Aegypto, Eusthatius in Eutychio pro Constantinopolitanis, laneum pallium commemorant.

Obiici posset testimonium Iohannis Diaconi in vita S. Gregorii M. lib. IV. cap. 80. ubi refert, nonnullos ab eius obitu annos, Sancti Pontificis corpus collocatum sub altari prope secretarium: loquens autem de Pallio ea occasione extracto refert illud *bysso candente contextum*, nomine autem byssi exquisitum linum indicari videtur.

Garnerius tanti facit hoc testimonium ut inde concludat recentius tantum in Romana Ecclesia Pallium ex lana fieri consuevisse. Hac admissa sententia, clarius pateret rationem illam mysticam ex lana eductam, non fuisse causam Pallii instituendi, siquidem Pallium iam praeexistebat.

Attamen haud videtur reiicienda hypothesis Nicolai de Bralion in dissertat. *Pallium Archiepiscopale*, qui putat hallucinatum ea in re Iohannem Diaconum. Animadvertit Gregorium ipsum Pallii materiam describere quae designet humilitatem ac demissionem, quod certe haud conciliaretur cum bysso candente: a tumulatione Gregorii bis centum ac quinquaginta annos effluxisse, adeo ut subtiliora adeo fila pallii evadere potuerint ut error aliquis admitteretur. Addi posset ibidem Ioannem affirmare post annos quinquaginta a morte Gregorii per Gregorium IV. translationem illam evenisse, cumconstet

Gregorium IV. diu post floruisse. Demum nec diserte Pallium illud lineum dicitur.

Profecto ea tantum ex causa haud videtur ambigendum de sententia quae Pallium ex lana fuisse iugiter confectum, tenet. Cum porro frequentissimus in veterum indumentorum ratione lanae usus existeret, atque ut facile agnoscitur, in pallio praesertim seu superiore veste; recensita origo hoc etiam ex respectu firmatur. Enimvero habemus Isidorum Aegyptium qui laneum pallium testatur: Liberatus aliique Pallii Alexandrini originem ex Marci pallio tradunt: a pari laneum Romanae Ecclesiae Pallium ex laneo Petri pallio est derivandum. Lanea pallia in serie Ostiensi Marangonius opportune admodum notaverat.

ARTICULUS IX.

Ex casulae origine.

Alia item ratio ex comparatione Pallii ad casulam accedit. Animadverto casulam seu planetam ex veteri etiam communi pallio originem habere. Id quidem primo patet ex eo, quod antequam latina casula hinc inde detruncaretur, adamussim cum graeca sacerdotali veste conveniret: at cum antiquiores Fidei Christianae administri ex oriente prodierint, certe communis haec vestis super tunicam, haud video unde nisi ex pallio deduci possit. Evidentissime id pariter exurgit ex imaginibus Pontificum seu Presbyterorum: in antiquioribus enim evidenter pro casula pallium commune perspicitur, eius propemodum formae quae in Christo, Prophetis atque Apostolis occurrit; gradatim vero ad recentioris casulae formam accedit. Conferantur casulae Felicis IIII ad SS. Cosmam et Damianum, Pelagii II. ad S. Laurentium, Honorii et alterius Pontificis ad S. Agnetem: Iohannis IV. et aliorum ad Ba-

ptisterium Lateranense. Deinde Paschalis I. ad S. Mariam in Domnica, S. Praxedem, S. Caeciliam: et Gregorii IV. ad S. Marcum. Demum plurium Pontificum pro saeculis decimosecundo, decimotertio etc. ad S. Mariam transtyberim, ad Lateranum in Ecclesiae abside etc. Nimirum ut sacra commode peragerentur brachia et manus expeditae essent, neque pallium inter agendum decideret, pallium ante pectus coniungi caepit, et brachia hinc inde ex fimbriis extrahebantur. Alii vero Orientales uti Chaldaei, Armeni disiunctum pallium seu casulam servant, adhibita lamina vel fibula ad fimbrias ante pectus iungendas.

Neque repeti potest casula ex veteri toga: primo enim quomodo apud Graecos togae usus, eorum attamen casula eadem est ac latina ante recentem admodum nostrae detruncationem. In antiquis monumentis ac etiam musivis videre est plures cum toga, nil tamen ea cum sacerdotali casula comune habet. Enimvero in toga ut ex antiquis scriptoribus ac monumentis dignoscitur, latus dexterum patebat et brachium; eadem vero operiebat partem anteriorem, latus sinistrum et partem posteriorem, adeo ut sinistrum brachium, elevando togam in sinus, protenderetur.

Nec pariter ex paenula; vestis enim haec prorsus privata pro itineribus et pluvia, haud censeri potest ad rem sacram veluti nobilior adhibita, aliis sepositis indumentis quae in civili usu erant. Hinc pluviale potius ex paenula deducitur.

Quorsum vero haec omnia? Nimirum casula seu planeta peculiare sacrum Pontificis et Presbyterorum singulorum pallium exhibet: at Pontifex aliud addit et quidem tantae dignitatis et excellentiae ut huic tantum Pallii nomen servatum sit, illud vero nomen amiserit suum aliisque denotetur vocabulis, licet forma prae altero me-

lius longe ad pallium accedat. Profecto haec demonstrant verum pallium illud esse, siquidem alteri certe pallio detrimentum nominis intulit; excellentiori aliqua de causa illud geri, non adeo ad usum quam in alterius obsequium: cum vero de Romano agatur Pontifice, quaeso in cuius obsequium, nisi Petri, huiusmodi delatio excogitari potest?

ARTICULUS X.

Ex universa oeconomia in Pallii traditione.

Aliud argumenti genus accedit ex disciplina, quam Apostolica Sedes quoad Pallium Pontificium per Occidentem atque Orientem servavit, cuius ratio apprime perspicitur et undequaque intelligitur ex tradita ipsius Pallii notione. Metropolitis et etiam Episcopis Pallium dabatur passim in signum Vicarialis potestatis, quam Apostolicae Sedis nomine exercebant ut ex testimoniis adductis constat. Vigilius Pallium concedit Auxanio « agenti » vices nostras » Pelagius I. ad Sapaudum Arelatensem. « Ut sedis nostrae Vicarius institutus *ad instar nostrum* » in Galliarum partibus primi sacerdotis locum obti» neas. » Additque recolenda sane verba « ut stabilis » illius petrae sempiterna soliditas, supra quam Do» minus Salvator noster propriam fundavit Ecclesiam, » a solis ortu usque ad occasum, primatus sui apicem » successorum suorum auctoritate, tam per se quam » per Vicarios suos firmiter obtineret. Sic participata » solicitudine sanctam Dei universalem Ecclesiam nostri » per Dei gratiam rexere maiores. » Gregorius Pallium ad Virgilium Arelatensem mittens « Vices nostras » in Ecclesiis quae sub Childeberti regno erant committit: idemque ad Iohannem Iustinianae I. Antistitem « Pallium

**

» ex more transmisimus et vices vos Apostolicae Sedis
» agere iterata innovatione decernimus. »

Animadvertendum passim antiquioris consuetudinis mentionem fieri, ut constat ex quo Symmachus ad Praedecessorum morem provocet: Vigilius idem a Symmacho quoad praedecessorem Auxanii, Caesarium nempe, praestitum affirmet: Gregorius ad Virgilium item Arelatensem. « Quod vero *iuxta antiquum morem* usum Pallii ac vices Sedis Apostolicae postulasti. » Idem pariter indicat Gregorius ad Iohannem Iustinianae primae cum Pallium trasmittit « et vices Apostolicae Sedis *ite-*
» *rata innovatione* illum agere » decernit. Exurgit ex his Pallium, Archiepiscopis et Episcopis nonnullis, delatum fuisse in signum praesertim Vicarialis potestatis, nomine sanctae Sedis exercendae: et quidem praxis ista longe antiquior erat saeculis quinto et sexto.

Optime id explicat praxis illa qua usualis pallii traditio signum erat traditae missionis: nec perspici potest quo modo missionis Apostolicae Sedis, Petrique nomine gerendae signum vetustissimum constanterque servatum esse posset, quod aliquam relationem cum Petro ac Romanis Pontificibus haud haberet, atque indifferens prorsus per se ornamentum esset.

Argumenti vis augetur si perpendamus quae Rabanus Maurus saeculo nono lib. I. de institutione clericali c. 23. proferebat. « Summo Pontifici, qui Archiepisco-
» pus vocatur, *propter Apostolicam vicem* Pallii honor
» decernitur, quod genus indumenti Crucis signaculum
» purpureo colore exprimit, ut ipso indutus Pontifex a
» tergo et pectore crucem habeat, suaque mente pie et
» digne de passione Redemptoris cogitet, ac populo,
» pro quo Dominum deprecatur, redemptionis suae si-
» gnaculum demonstret. Condecet quoque bene ut *ipsa*
» *Apostolica dignitas* Apostolicum virum faciat. »

Ex Rabano Archiepiscopus habet Pallium *ob Apostolicam vicem*, atque *ob dignitatem Apostolicam*, vir Apostolicus, Apostolus nimirum esse debet. Profecto non quatenus Episcopi omnes sunt successores Apostolorum: tunc enim omnes Episcopos Pallio decorandos asseruisset, e contra agnoscit illud Archiepiscopis tantum dari. Prae oculis nimirum habet Viros illos qui ab aevo Apostolico per varias provincias missi rem Christianam per easdem primo constituerunt ac metropoleon Episcopatum gesserant, quemadmodum nuperrime fecerant Augustinus per Angliam, Bonifacius per Germaniam, qui omnes a Petro atque eius successoribus missi fuerant. Si itaque Pallium importabat vicem Apostolicam, dignitatem Apostolicam, profecto Pallium ad ipsum Petrum referri debet: at non video qua alia ratione, nisi quod Petri ipsius pallium repraesentet. Romani quidem Pontifices eam vicem ac dignitatem proprie atque ordinario gerunt, illi vero per delegationem quamdam Pontificum qui Pallium Petri iisdem communicant.

Idem alia ratione Rupertus Tuitiensis lib. I. de Divinis officis c. 27. « Initium ergo Fidei habentes ab » Apostolica Sede, regulam hanc Metropolitanae obser» vant Ecclesiae, ut neminem habeant Pontificem, nisi » ab eadem sede missum a qua primus ille praedicator » Fidei missus est: *illa autem missio supradicti Pallii* » *largitio est.* »

Apertissime eo in testimonio coniungitur unaquaeque Pallii largitio cum priori illa missione, qua primus praedicator Fidei missus est in singulas regiones: cumque per Occidentales praesertim provincias primos praedicatores a Petro missos constet, Pallii largitio arctissime cum Petri missione copulatur et consequenter firmatur relatio Sacri Pallii ad Petrum.

Hinc etiam melius intelligitur formula quae pro trans-

missione Pallii habetur in Diurno RR. PP. per Garnerium edito càp. IV. de usu Pallii tit. 3. « Pallii usum, » quem ad sacerdotalis officii decorem et ad *ostenden-* » *dam unanimitatem* quam *cum beato Petro Apostolo* » universum gregem dominicarum ovium quae ei com- » missae sunt habere non dubium est, Apostolicam se- » dem sicut decuit poposcisti, *utpote ab eisdem Apo-* » *stolis fundatae Ecclesiae episcopus.* »

Formula illa apprime convenit cum epistola Symmachi ad Theodorum Laureacensem pro Pallii concessione: fundatio Apostolica ecclesiae potissima erat Pallii petendi atque obtinendi causa. Quae quidem dicendi ratio eo est gravior magisque adnotanda quod, iuxta Garnerium, ea sit antiquissima eoncedendi Pallii formula et a Symmachi tempore usque ad Paschalem I. adhibita, qui ea usus est cum, Bernardo Viennensi Episc. an. 817. Pallium dedit.

Hinc optime cohaerent indulta illa praesertim apud Gregorium M. in quibus Pallium Metropolitis conceditur, quin habeatur mentio de peculiari aliqua legatione Apostolicae Sedis, ea siquidem implicite perspiciebatur in Metropoliticae dignitatis origine, qua Praedecessores ad Christianum nomen propagandum per eas provincias missi fuerant, quemadmodum Apollinaris Ravennam missus a Petro fuerat.

Patet etiam qua de causa simplicibus nonnullis Episcopis traderetur Pallium, quin tamen in indulto peculiaris mentio legationis Apostolicae habeatur: illae siquidem ecclesiae fundatorem habuerant Praesulem aliquem a Petro missum, vel ab eius successoribus, vel etiam immediatam hanc originem et relationem significare volebant, idque per transmissionem Pallii S. Petri significabatur.

De Marca censuit prioribus saeculis in Occidente

etiam ac praesertim per Gallias Pallium aliquod in usu pro Metropolitis fuisse, quod a Romanis Pontificibus haud directe mitteretur. Licet haud illi subscribam, fuisset illud pallium commemorativum Apostolici Viri qui provinciae illius primus praedicator extiterat, et melius forte commemorativum Petri a quo ille missus fuerat: Opportuna admodum hic sunt quae retulimus de Materno Trevirensi qui asseritur *per Petrum missus haereditatem Pallii suis successoribus reliquisse*. Num pallium Materni an potius Petri, a quo illud accepisse significabatur, haud patet. Attamen ut relatio ista ad Petrum vividius iugiter servaretur, ne progressu temporis quidpiam aliud in eo Pallio perspiceretur, unio vero cum Apostolica Sede firma consisteret; vel postulantibus ipsis Metropolitis, vel iisdem Romanis Pontificibus curantibus, generatim invaluit, ut non adeo discipuli quam mittentis, et si quidem Petri mittentis illud pallium esset, non ex Episcopi defuncti corpore vel ex Ecclesiae altari, quam ex ipso Petri ipsius corpore iugiter illud sumeretur.

ARTICULUS XI.

Ex praxi circa Pallia Orientalium.

Omnia pariter, hac posita sententia, rite conciliantur quae constant de Pallii usu quoad Orientales. Nimirum plurimae Orientis Ecclesiae per ipsos Apostolos vel eorum discipulos constitutae fuerunt : proinde ad eorum recolendam memoriam subsequentes Antistites Pallium gesserunt ad pallii Apostolici formam simile : hinc, S. Marci Pallium, quod Alexandrinos Antistites sumpsisse ex Liberato vidimus : S. Iacobi Pallium quod ex urbe Hierosolymitana, cum Mohamedanorum po-

tentia in dies augeretur, ad Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham delatum est: Antiochiae forsitan Pallium commemorativum erat S. Petri, attamen alio prorsus sub respectu ac Romanum Pallium. Hinc passim Pallium Orientis Episcopi habuerunt, et Pallium quidem ex ipso altari ac veluti ex fundatorum sepulchro accipiebant. Romani vero Pontifices permiserunt ut Graeci morem hunc servarent. Utinam Apostolicitatis notam quam habitu praeferunt, re ipsa omnes servassent!

Cum vero non eadem in specie Pallii notio in Romano et in orientali Pallio contineretur, Gregorius M. auctor ipse fuit ut Anastasius Antiochenus Romae etiam cum sacris solemniis Pontificis adesset suum gereret Pallium: quod pariter et in posterum servatum, adeo ut modo etiam Orientales Antistites Romae sacra facientes, vel etiam Pontifici solemnia peragenti adstantes suum Pallium servent, aliorum Apostolorum vel Apostolicorum virorum commemorativum. Illis vero qui Pontificium Pallium obtinent haud id conceditur.

Attamen ut unitas et subiectio ad Romanam Ecclesiam consisteret, ac pateret totius Ecclesiasticae auctoritatis Petrum esse fundamentum ac originem, Pallium ipsum S. Petri, quod vere iurisdictionis Pallium est, praesertim Patriarchis in confirmatione tradebatur. Idque accuratius etiam praestari voluerunt post iterata schismata, cum iidem in Sedis Apostolicae reversi sunt unionem, nimirum ad ipsam unionem firmandam, avertendum novi schismatis periculum, in perspicuum signum subiectionis ad Petrum eiusque successorem R. P., auctoritatis traditae significationem, ac missionis acceptae firmandi nimirum in catholicae Fidei professione suas respective nationes. Quod etiam praestitum est cum novae Sedes ab ipsis RR. PP. Archiepiscopales seu Primatiales de novo constituerentur, ob omnimodam et immediatam il-

larum a Petro eiusque Sede originem. Hinc regula ab Innocentio III. praesertim statuta, seu potius renovata, ut Patriarchae Pallium e corpore B. Petri accipiant. Quod tamen haud impedit quominus Pallium proprium in memoriam videlicet aliorum Apostolorum, seu veterum Orientalium Ecclesiarum fundatorum sub Pontificio illo gerere pergant, quae profecto consuetudo vix diversimode explicari posse videtur.

ARTICULUS XII.

Ex institutis omnibus quoad Pallium.

Demum, hac posita sententia, optime explicantur et conciliantur quae pertinent ad Pallii Apostolici traditionem et usum, uti praeconia quae de Pallio referuntur, praeter ea quae superius iam animadvertimus. Enimvero passim in Pallio *plenitudo Pastoralis*, vel *Pontificalis officii contineri* asseritur: optime, quia S. Petri Pallium proprie, simpliciter, atque absolute haud pertinet nisi ad Romanos Pontifices, qui plenitudinem pastoralis et pontificalis officii utpote Petri successores vere habent. Atque hic recolenda homiliae verba: « in signum plenissimae potestatis Pallio pri- » mum Linus amictus est. » Hinc nulla prorsus limitatio quoad Pallii usum pro Romano Pontifice, siquidem eius dignitati ac potestati essentiale est Pallium S. Petri. Hinc etiam non per Antistitem ullum sed ex altari seu Confessione S. Petri manu Diaconi, nimirum ministro suo adiuvante illud accipit: siquidem, posita electione canonica, eius potestas immediate a Christo est per successionem ad Petrum, quae in ea Pallii sumptione innuitur.

Hinc licet Pontifex haud semper Pallio modo utatur,

cum aliae minus solemnes vestes invectae fuerint: tamen iugiter ea vulgata regula fuit Pontificem non modo ubicumque, verum et semper Pallio uti posse, quia nimirum propria absolute, ac potissima eius vestis existit, utpote Petri successionem indicans. Enimvero Silverius per Urbem perrexisse refertur, cumque in aedes in Pincis venisset; nefanda illa patrata sunt ut per proditorem subdiaconum Pallium ex eius collo tolleretur, unde certe patet passim tum Romanos Pontifices Pallium detulisse.

Attamen Episcopus Ostiensis munus praeclarissimum habet successorem Petri in Episcopum sacrandi: hinc et ipsum ea occasione Petri Pallio exornatum Pontifex Marcus voluit.

In signum vero communionis et unitatis Fidei cum Sede Apostolica, sed et participationis potestatis Petri pro unitate in Ecclesia servanda institutae, datur Patriarchis etiam Orientis, Primatibus et Archiepiscopis ut haec missio inter fratres Episcopos exercenda significetur. Et probe quidem est adnotandum missionem istam antiquiorem esse decretis, quibus auctoritas ipsa Patriarchalis vel Archiepiscopalis per canones praefinita est: hinc Pallii traditio non est mera ceremonia, sed potior atque antiquissima ratio pleniorem illam potestatem tradendi, ob quam nonnulli per Ecclesiam Antistites peculiariter advocati sunt et advocantur ad Apostolicum munus Petro traditum vice ac nomine successoris Petri exercendum, unitatemque in Ecclesia respective repraesentandam atque efficiendam.

Patet etiam qua de causa per ipsos Praesules vel speciales Procuratores Pallii petitio humillimis precibus facta sit et fieri debeat: siquidem non agitur de simplici ornamenti concessione, verum de illo qui ipso sui conceptu Apostolicam missionem involvit; eaque missio ex praxi ab Apostolico aevo ad praesens servata accipi

ea obsequenti ratione debeat ut Apostolici omnes viri fecerunt, et imprimis Bonifacius Moguntinus.

Hinc optime Pallii concessio fit in solemni Romanae Ecclesiae conventu, Consistorio videlicet, quo ordinarie Praesules instituuntur ac mittuntur.

Saepe antiquitus Pallium a Pontifice vel eius vice ab Archidiacono ad ipsam Confessionis aram Praesulibus vel eorum Procuratoribus tradebatur.

Intelligitur etiam qua de causa fidelitatis et subiectionis iuramentum in eo accipiendo praestari debeat *Beato Petro et eius Vicario* Romano Pontifici.

Optime etiam consonat vetus praescriptio quod iter agens, qui Pallium deferret, rectissimo tramite conficeret, illudque unaquaque nocte deponeret penes Cathedralem Ecclesiam civitatis, vel Collegiatam seu Parochialem, si Cathedralis non adesset.

Clarius etiam ratio perspicitur, ob quam ante Pallii receptionem plura interdicuntur praesertim convocatio synodi, solemnes consecrationes, et generatim functiones solemniores etiam simpliciter Episcopales: siquidem in Pallii traditione missio ipsa, proprio ac vetustissimo ritu continetur.

Qua etiam de causa ad missionem iugiter ostendendam, in praecipuis istis obeundis muneribus Pallium est deferendum ut mittentis auctoritas omnibus pateat, ac tuendae per Ecclesiam unitatis memoria existat.

Attamen limites aliis Praesulibus pro Pallio gerendo sunt dierum ac locorum, ut proprio etiam in districtu certis quibusdam diebus et solemnitatibus, intra Ecclesiam pro Missarum celebratione deferatur: nimirum ut constet unum esse Romanum Pontificem, qui plenitudinem Pontificalis officii uti Petri successor obtinet; alii vero ad participationem quamdam extraordinario advocantur.

Facile quisque videt optime huic notioni respon-

dere cetera quae servantur de Pallio ut singuli accipiant, ac rursus, pro nova missione: cura ut acceptum identicum Pallium iugiter servetur nec distrahatur, eoque indutum defuncti Praesulis corpus sepulturae tradatur.

ARTICULUS XIII.

Satisfit difficultati.

Difficultas proponi posset inde petita quod Pontificium Pallium non sit certe ipsum B. Petri Pallium, sed iugiter de novo efformetur, nec tantum pro ipso Pontifice sed plura fiant ut aliis quoque Antistitibus tradantur.

Licet ex dictis facilis istius obiectionis solutio existat, libet tamen eidem e proposito satisfacere. Profecto quae afferebam suadent per Linum aliosque priores Pontifices ipsum Petri Pallium primo adhibitum fuisse: illud ipsum forte primo discissum est, unde partes aliis traderentur. Attamen consumpto, vel quavis alia de causa inter gravissimas persecutiones eo amisso, ritus gestandi ac tradendi Pallii in obsequium et commemorationem Petri iam invaluerat, et tanti ponderis ac gravitatis erat ut omitti haud amplius posset; vel etiam ex solemni eo more invectus dinde est. Profecto haec repraesentandi ratio in solemnitatibus aliisque pluribus Ecclesiae institutis frequentissima est et naturae ipsi consentanea, qua per imagines, personarum ac rerum defectus passim suppletur. Hinc ad primi illius imitationem, alterum paratum, materia disposita multimodis ritibus ac praesertim per appositionem ad Petri ipsius corpus, ut illius defectui meliori, quo fieri posset, modo obviam iretur. Necessitas efformandi Pallium repraesentativum prioris illius, multiplicationem faciliorem reddidit, ut nempe solemne ac luculentissimum adesset signum potestatis quae, vi successionis ad

Petrum, Romanis Pontificibus traditur; ac missionis inde in alios derivantis.

CONCLUSIO.

Quaestionem dirimendam suscepi in qua plerique rem esse incertam pronuntiabant, ut eos omittam qui laicalem Sacri Pallii originem asserere haud verebantur. Testimonia ineluctabilia et apodictica haud certe aderant, alioquin quaestio iamdiu dirempta fuisset: documenta ac monumenta accuratius perpendenda ac simul conferenda suscepi; inde vero ea argumentorum ac probationum copia exurgere visa est, quae in rebus huiusmodi satis superque sufficiens videtur ut aliquid affirmari possit. Accedit quod in proposita sacri Pallii origine evidenter perspicitur optime cohaerere omnia quae Ecclesiae historia, Sacrorum Canonum sanctiones et Liturgicae imprimis praxes de Pallio habent. Neque aliquid proprie de novo invectum, sed potius revocata accuratius attentio ad perspectum satis antiquitatis sensum, uti in prooemio monebam.

Assignata vero Pontificii Pallii origo Catholicae Ecclesiae certe digna omnimode est, eademque ad debitum Apostolicae Sedi obsequium servandum, iugiterque augendum aptissima: siquidem Apostolicum Pallium ipsa sua origine auctoritatem eius commendat, atque in Pontifice ex Pallio ipso Petrum loquentem ac praesidentem agnoscimus ac veneramur.

IMPRIMATUR

Fr. Th. M. Larco O. P. S. P. A. M. Socius.

IMPRIMATUR

Fr. A. Ligi Bussi Archiepiscopus Iconien. Vicesgerens.



